VITA
ANGELI
COLOTII
EPISCOPI NVCERINI.

AVCTORE

FEDERICO VBALDINO.




ROMÆ, MDCLXXIII.

Typis Michaelis Herculis.

Superiorum permissu.

CASSIANO A PVTEO EQVITI ILLVSTRISSIMO

Federicus Vbaldinus S.P.D.





HANC Angeli Colotij Episcopi Nucerini Vitam nuper à me concinnatam, Vir Illustrissime, nisi tibi sistam, & dedicem, occurret planè nemo, cui potiore iure, ac merito ea debeatur. Personam quam olim ille in hac Aula tam egregiè sustinuit, ipse nunc feliciori in litteras litteratosque liberalitate mirabiliter re-

præ-

præſentas. Quamobrem ſi liceret, affirmare auderem, animam tanti Antiſtitis migraſſe in Te, ac viuere. Hoc tamen diſcrimine, quod ea ſtudia, quæ cum illo nata infantia adhuc, atque imbecilla videbantur, Tu virilia reddideris, ac robuſta. Habuere videlicet ſub eodem animo per illum cunabula, per Te incrementa. Sic ætas noſtra Tuis in ædibus non vnum Muſeum, ſed Athenas ipſas, Siracuſaſque, & Romam veterem contemplatur, & admiratur. Quid igitur mirum, ſi Viri Principes, quorum & ingenita, & hereditaria gloria eſt, hiſce artibus ſtudere, ac fauere; Te, cum Vrbis miracula perluſtrarent plurimum ſemper ſuſpexerint, ſummiſque laudibus exornarint? Excipe itaque hilari, vt dicitur fronte, ò totius polimathiæ decus, hunc tenuem, rudem-

rudemque ingenij mei laborem, ea saltem ratione, qua suam quisque non modo in auro, gemmisque ornato speculo, sed quouis licet modico, siluestrique fonte imaginem libentissimè contuetur.

Romæ in ædibus Cardinalis Vice-Cancellarij die xxiv. Decembris An.MDCLIII.



Impri-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sac. Pal. Ap.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ordinis Prædic. Sac. Pal. Ap. Magister.

VITA ANGELI COLOTII EPISCOPI NVCERINI.

FEDERICO VBALDINO AVCTORE.



NTER illuſtres Aeſinæ Vrbis Familias clarum genus eſt Colotiorum, quorum decora vel ab Vrbani VI. tempore numerantur in Aula Romana, vbi floruit Iacobus Pontifici a ſacris, & Rotæ XII-Vir, ſeu (vti vocant) Auditor. Hæc claritudo, vti per ſe familias ſatis ornat, ita ſe offert primam in hac ſtirpe diſpiciendam; cum alia monumenta, ex quibus reliqua intelligere fas eſſet, perierint eodem incendio, quo Magiſtratus Aedes conflagrarunt: Supereſt tamen quædam nobilis inſcriptio in domo Colotiorum, quæ huiuſmodi

eſt: SATIS ANTIQVAE OPES, OPTIMI MORES, ET STVDIA BONARVM ARTIVM DOMVM HANC NOBILITARVNT.

Vixit deinde anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quinto Angelus, qui, pulſis Vrbe Tyrannis, vt corruptam rem publicam reſtitueret, Patriæ inſtituta, & decreta in vnum breuiter coegit. Angelus peperit Nicolaum, Nicolaus verò edidit filium ab Aui nomine dictum quoque Angelum; qui, cum ſeſe præbuerit in luce Romana tanquam ſpeculum ſinceræ virtutis ijs temporibus ſatis probatum, poſſitque tranſire inter exempla poſteritatis, meritò expoſcit a nobis, vt eius memoriæ conſulamus, quò alienæ vtilitati proſpiciatur. Eius mater ſoror fuit Floriani Sanctoni, Viri rebus & geſtis, & toleratis memorandi: Pater verò, quamquàm ciuilibus negotijs deditus eſſet, in tota vita ſe talem præſtitit, vt omnium opinione prudentiſſimus habitus fuerit. Certè magnam prudentiæ laudem in eo meritus eſt, quod ſuos virtutum omnium, literarumque documentis imbui

voluit;

voluit: sic non modo Angelum filium, cuius vitam scribimus, sed Franciscum fratrem, superatis grauissimis difficultatibus, curauit præclarè educandum. Hic ille Franciscus est, de quo idem Angelus hæc ad Ioannem Benedictum, sibi consanguinitate coniunctum, perscribit: *Mihi patruus fuit Franciscus Colotius, postea Consiliarius Regis, quem meus Parens primùm summo cum labore, ac sumptu instituere contendit; Bononiam eum vna cum Magistro Thaddæo misit, Aristotelicis scholis erudiendum, deinde Perusiam, vbi priore scholastici studij anno libros, & vestes pluribus centenis nummis constantes ludendo consumpsit; quod factum adeò non terruit meum Parentem, vt omnia redemerit, ac florenos supra quadringentos vnico biennio impenderit: & cum Ciues hæc impendia, velut inutilia, irriderent, non semel responderit, suæ se rei decrementa spernere, etiamsi paupertas immineret, modo fratrem præclarè educaret: quin eiusdem generositatis retinens, in diuisione hæreditatis, horum sumptuum nullam fieri mentionem passus est; vixitque cum eo annis triginta eodem animo, & tecto.*

Notus in fratres animo paterno, Horat.

Ex hac fraternæ inſtitutionis cura conijcere eſt quantum Nicolaus in excolendo Angelo filio poſuerit diligentiæ; quam ſatis probant honores in ipſum Angelum adhuc puerum collati; etenim in illo ætatis flore Dignitatis Equeſtris inſignia accepit cum ijs prerogatiuis, quibus abundè gloriari potuit.

Morabatur Romæ a Pij II. vſque Pontificatu Andreas Palæologus Deſpota, ad quem omnes alicuius notæ viri confluebant, quod ſperarent ab illo, vti & eiuſdem virtus ſpondebat, Conſtantinopolitanum Imperium, paulò ante amiſſum, & ad ipſum iure familiæ ſpectans, recuperatũ iri. Is parentem habuit Thomam Peloponneſi Deſpotam, cuius fratres fuerant duo poſtremi Græciæ Imperatores, Ioannes ob vtriuſque Eccleſiæ concordiam, & Conſtantinus ob vitam, vnà cum Conſtantinopolitana Vrbe amiſsam inſignes; adeoq; Andreas nepos erat Manuelis, & pronepos Ioannis, quem peperit Andronicus filius Michaelis, qui ortus fuerat ex Andronico parente illius Michaelis, qui per ſummam glo-

riam

riam Latinis Græciæ solium eripuit.

Hic itaque Andreas natus est anno partæ salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio; accepitque huiusmodi nomen ex paterna in D. Andream Apostolum pietate. Sic testatur Georgius Phranza eius temporis Scriptor, & vir admodum Illustris. *xvij. Ian. auctum est Palæologorum genus, & imperij successor, paruæque Romanorum scintillæ hæres natus Andreas Palæologus, Thomæ Despotæ Porphyro-geniti filius.* Mater illi filia Martini Zaccharię, seu Centurionis, fuit, qui Genua oriundus, per summam virtutem Achaiæ, ac Aulidis principatum indeptus fuerat, Thomæque dotales dederat Messenam, & Ithomam.

Porrò Thomas, post fortunam, eiusque gratiam frustra tentatam, ad Pium II. Summum Pontificem se contulit, & venerandum D. Andreæ Apostoli caput detulit. Ab hoc humanissimè ac regiè acceptus, Romam quoque Andream, & Manuelem cum filia, & nepte acciuit; sed, morte inuidente, haud vidit; quippe cum illi Anconam attigissent, mense

Maio anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto diem obiuit. Adolescentes autem iussu Pontificis benignè recreati, & a Cardinale Bessarione domum adducti, summo cum honore Romæ floruere, donec veteris dignitatis recuperandæ desperatione, & vrbani otij consuetudine viliores habiti, Manuel Mancafeo, Contio, & Nicolao domesticis credulus Constantinopolim aufugit, & inter Græcos inglorio funere perijt: Andreas natu maior, in matrimonium adscita Græca meretrice, reputans facile fore vt eam nobilibus artibus instrueret, nullam reliquit prolem, cuius tamen Manuel expers non fuit. Sic summi Andreæ tituli in risum versi sunt, vti illi exprobrauit Albertus Pius Carpi Dominus, quo tempore Romæ, Leone X. Pontifice, in Capitolinis Aedibus Plautinus Pænulus per scenam exhiberetur. Is enim cum Maximiliani Cęsaris legatum ageret, & Andreas tam numerosa Cæsarum stirpe glorians, eidem anteferri vellet, obiecit, *nihil ex tot titulis superesse nisi prolixius capillitium, & exulem, qui aliena quadra egeret*; quod

&

& Albertus sensit idem prope sibi ab Erasmo exprobrari, dum, Caroli V. iram fugiens, ad Franciscum Galliæ Regem se recepisset. Sic fato quodam interdum idem vulnus patimur, quod infligimus. Numerus autem Titulorum, quibus Andreas abundabat, patet ex diplomate, quo Equitem nuncupat Angelum Colotium, filium Nicolai, in cuius gratiam, indole etiam pueri permotus, & vtriusque erga res Græcas amore sollicitatus Angelum Equitem creauit, lateri ensem, pedibus aurea calcaria, & capiti galeam, vt moris est, inserens; ac Colotiorum insignibus, quæ constabant scuto rubro duabus rosis inter se impositis diuiso, adijciens maioris nobilitatis ergo, Cæsarea autoritate mediam Aquilam auream gemino capite coronato insignitam, quod est Græci Imperij tessera. Præterea Principes, Regesque rogatos per formulam voluit, vt Angelum a se Equestri honore ornatum haberent commendatum. Hæc omnia liquent ex tabulis Romæ ad annum quadringentesimum octogesimum tertium supra mille, confectis, &

ctum ab ipso Despota characteribus græcis rubris, tum à Francisco Blanco maiori Procancellario subsignatis.

Colotius interim vsus fuit præceptore Georgio Valla, (quemadmodum indicat Dialogus Valeriani de Literatorum miseria). cuius opera miros progressus fecit. Hæc igitur fuere prima rudimenta famæ, Angelo maiora præsagientis per eum titulum (h. e. Messere) qui vel Regibus denegabatur, nisi Equestria ornamenta prius accepissent. Sed fortuna inuidens virtuti, & honoribus, Angelum citò calamitatibus obiecit.

Sixto IV. extincto, & Innocentio VIII. ad solium Pontificium euecto, Regni Neapolitani Proceres aduersus Ferdinandum Regem conspirarunt, & ex conspiratione mox bellum, Pontifice impulsore: cui cum in suspicionem venissent quicumque Aragoniæ familiæ fauerent, Colotij quoq; Regis studiosi habiti fuere, cum Franciscus frater Nicolai, & Patruus Angeli Regius, & Consiliarius, & domesticus esset. Cum Colotijs quoque in inuidiam vocati sunt Sanctoni,

quorum primus Nicolai vxoris frater Florianus habebatur. Itaque Franciſcus exilio, Nicolaus & Florianus carcere mulctati.

Præerat id temporis Piceno Protonotarius nomine Agnellus, re Lupus: hic pluribus bonis viris trucidatis, Sanctonium quoque, iam in extremo ſenio poſitum, morti deſtinabat. Accidit autem res digna memoratu; cum enim Protonotarius Nicolaum ad ſe accerſiuiſset, illumque de imminente Sanctonio nece non minus crudeliter, quam imprudenter, ſolari vellet, addidit, *Florianum & felicem vixiſse, & ſenem mori, & animo & corpore ſatis firmum*; ſubiecit Nicolaus: *Atqui tu felicior in Iuuenta mortuus fuiſſes; Agnellus enim eras, nunc lictor es.*

Hac calamitate Angelus extra penates Neapolim abijt, vbi patruum nactus eſt iam Præfectum Aſculo, quæ Vrbs Apuliæ eſt, iampridem ab Alphonſo Calabriæ Duce, ac Regis Primogenito filijs Vrſi Vrſini ablata ſimul cum Nola; quippe cum Vrſus legitima prole careret, poſtremis vitæ annis Ducem, cuius

ab

ab arbitrio Rex, & Regnum pendebat, rogauit vt filijs vtriusque Vrbis regimen relinqueret. Annuit Alphonsus; sed contra fidem, post Vrsi mortem, Vrbes in suam potestatem redegit, easque fidei Francisci Colotij aduersus Procerum tentamenta commisit.

Angelus tamen studijs literarijs intentus fuit, tantumque existimationis tum indole sua, tum patrui autoritate sibi parauit apud eruditiores, ac præsertim apud Iouianum Pontanum, vt Neapolitanæ Academiæ cum Sincero Sannazario, Elisio, Calentio, Altilio, Summontio, Carbonio, Vopisco, alijsque doctissimis hominibus adscriptus fuerit, mutauitque nomen, more inducto à Pomponio Læto, frustra Paulo Secundo indignante, dictusque fuit, adiecto cognomento antiquo A. Colotius Bassus. Ritus autem in nomine mutando hic seruabatur: Primùm lauro caput cingebatur; Academicorum mox suffragijs fauentibus, nomen in Album referebatur, deinde conuiuio exceptus, Academicis carmine nouum cognomentum laudantibus, eodem saluta-

taba-

tabatur, conditione adiecta, vt lauream semper capite retineret inter Academicas exercitationes.

Hæc Neapolitana Angeli mora, etsi lætior esset, tamen quia exulis erat, lætiorem habuit Romanum reditum, ceu ipse testatur epigrammate Hendecasyllabo.

Terrarum Dea, Gentiumque ocelle,
Quocumque Oceanus Pater perambit,
Et Sol lumine conspicit corusco,
Quàm libens mea Roma te reuiso!
Vt domum tetigi laboriosus
Post tot exilia acta, tot labores,
Anfractus maris asperi & viarum!

Sub primo Romani reditus tempore Iouianus Pontanus à Rege Legatus Romam pacis conficiendæ, aliorumque negotiorum causa venit, & cum eo Sannazarius.

Pontanum conatus est Angelus pro suo & erga Regem obsequio, & erga amicum animo, humanissimè tractare: sed Pontifex quàm ornatissimè oratorem excepit, quasi cum Rege de fama magnanimitatis contenderet, se Principi antea infenso, sed per clientelam, seu

feu-

feudum Sedi Apostolicæ subiecto, ita conciliatum ostendens, vt ille clementissimè Proceribus subditis aduersum conspirantibus iam pepercerit. Inde Pontanus Librum de Magnanimitate Colotio ostendit, & per Petrum Summontium typis impressum dicauit.

Neque solum literati Viri, sed literatorum quoque fautoris nomen Angelus adeptus fuit: compluribus in eius elogio, & nomine Libris apparentibus, opusculo præsertim Antonij Mancinelli, annò, supra mille & quadringentos, nonagesimo quinto, typis edito, hac præfatione, quam libet recitare: *Antonius Mancinellus ad Angelum Colotium Aesinatem Literarum Apostolicarum maioris Præsidentiæ Breuiatorem. Sermonum Decadem, Angele mi suauissime, cui dedicarem volenti, mihi tu quidem in primis occurristi. Noram enim te studiosorum amantissimum, miraque probitate clarissimum, comitate iuuenem, grauitate senem, libentissimèque otium tuum in literis collocantem. Lectitas namque, & ediscis frequenter. Quod mihi certe nulla admiratione accessit; Nicolai sed enim patris, ac Francisci patrui*

tui

tui vestigia sectaris. Quorum alter plurimum fide, ac veritate, & candore præstabat, vnde in contubernio eius, sicuti in tuo, nihil vnquam nisi sanctum, nihil nisi honestum videbatur. Alteri verò ingenium solers, & vtriusque iuris cognitio maxima inerat. Qua de re, & Ferdinando Regi Partenopeo Consiliarius astitit. Cum ergo tua fides, & veritas, ac candor parenti, studium, & solertia patruo tuo respondeant, iure Mancinellus, & merito suæ Decadi præesse te voluit. Age iam munuscula eius hilari mente, serena fronte, manu benigna excipito. Vale nostri memor. MCCCCXCV.

Itaque Colotius Romæ cum dignitate degebat, Literarum Apostolicarum maioris Præsidentiæ Breuiator. Porrò huiusmodi munus accepit anno supra mille, quingentesimo, impensis duobus millibus, ac quingentis aureis, vti appellant, Cameræ ducatis, vendente Bartholomęo Honofrio Bartolino Perusino, eam ob causam, vt Guidobaldum Vrbini Ducem ex Vrsinorum vinculis hoc subsidio promptius liberaret. Præterea noningentis aureis eidem datis Literarum Apostolicarum Abbreuiator, ac anno mille-

millesimo quingentesimo tertio Sacræ Pœnitentiariæ Procurator, suppeditatis Laurentio Boccatio Canonico Lateranensi aureis ducatis septingentis ac viginti, dictus est. Alia etiam munera obiuit, nimirum Sollicitatoris Literarum Apostolicarum, Secretarij Apostolici, Magistri, vt vocant, Registri Bullarum, ac Notarij Cameræ Apostolicæ, ex quibus plurimum emolumenti percipiebat, adiecto præsertim patrimonio satis amplo. Hinc illi suppetebat virtutis exercendæ non angusta materies, namque verum est illud Poetæ;

——Magnis virtutibus obstat
Res angusta domi

Vxorem Angelus duxit tum nobilitate, tum pulchritudine, alijsque dotibus insignem, nomine Hieronymam Bufalinam Tipherni ex primaria nobilitate ortam, cui familia Vitellia id temporis per affinitatem coniuncta erat.

Extat priuilegium, quo Ludouicus Borgia tit. S. Marcelli Cardinalis Pænitentiarius, anno tertio Iulij secundi, permittit Angelo, eiusque tum coniugi, tum sobrino Hyppolito Francisci Colo-

tij

tij filio, vt pro arbitratu eligant Confessarium, qui eos absoluat etiam a peccatis, quorum absolutio sibi reseruata esset; insuper vt ferant, habeantue altare portatile ijs in locis, quibus interdictum fuerit sacris, ac demum vt in solemniore quadragesimæ ieiunio, alijsque, ouis ac lacte vesci possint. Datum apud S. Petrum sub sigillo officij Pænitentiariæ. Die XXV. Augusti. Atque hoc sane argumentum ingens pietatis est, qua Angelus erga Deum, Ecclesiamque ferebatur, dum per ipsam Ecclesiam sibi consultum volebat, si quid necessitas afferret, quod Ecclesiæ decretis non congrueret; cuius etiam pietatis specimen exhibuit dum insignia quædam Sanctorum ossa maioris venerationis gratia, Pontificis etiam permissu, transtulit in Templum, quod ad Tres Fontes dicitur; maluitque se, suamque domum insigni ornamento priuare, quam dignæ venerationis officio sanctos.

Inter hæc Franciscus Maria Vrbini Dux è medio sustulit Alidosium Cardinalem; quæ cædes non solum Christia-

nos

nos omnes maxime offendit, sed plurimos etiam literatos viros concussit, & præsertim Scipionem Carteromacum Græcum, quem profugum, opisque indigentem Angelus domi suæ liberaliter, ac officiosè tenuit, donec ad Mediceos ipsius fortasse Angeli opera se contulit; atque hac occasione idem vsus, linguæ Grecæ operam dedit vna cum Iacobo Sadoleto postea clarissimo Ecclesiæ Romanæ Purpurato.

Sensit paulo post ictum fortunæ orbatus coniuge, eamque & honorificis exequijs in Templo Capitolino, in Sacello Bufalinæ Gentis tumulari, & publicè laudari curauit ab Aegidio Gallo non minus Panegyri, quam Scenæ nato, de quo cecinit Franciscus Arsillus.

Galle tuas passim resonant per compita laudes;
Scena grauis numeros, te recitante, probat.

Vxoris tamen morte Angelus non euasit molestias ex eius morbo contractas, sed potius grauiores pertulit ob dissensiones excitatas ab vxoris Fratribus Angelo, ac Nicolao Bufalinis, quibus accesit

cessit Vitellus Vitellius, donec lite, quæ de dotis restitutione intercedebat, arbitrio Iacobi Fraiapani commissa, compositæ dissensiones fuerunt. Verùm his priuatis molestijs grauiùs publicæ de Patria sollicitudines illum anxiè ac diu cruciarunt. Hoc videlicet tempore Franciscus Maria Ruuereus Principatu Vrbini, reliquaque ditione, à Leone X. exutus, armato milite illi recuperandæ totus intendebat; contemptaque Pontificis ira, aliquot loca & in primis Aesinam vrbem diripuit, magnaque ex parte succendit: atque huius calamitatis maximè particeps Angelus fuit, amissis ædibus, quæ incendio conflagrauerunt, simul cum vt plurima frumenti copia, & opulenta omnis generis supellectile.

Verùm onere vxorio solutus habiliorem Aulæ Romanæ honoribus se præstitit; & profectò nobilem supra reliquos locum ibi obtinuisset, nisi otio literario maluisset, etsi non otiosè, deseruire: Siquidem eius ætatis Pontifices plurimi illum fecerunt, sed potissimùm ac in primis Leo X. Ingeniorum, ac Doctrina-

rũ inter cęteros magnus æstimator;cum enim ab alijs venalia tantùm munera,ab hoc gratuita accepit, iussus illi esse tum à cubiculo, tum à secretis; & Fauorino Varino Camerte senescente, in spem successionis, eidem designatus Adiutor est anno millesimo quingentesimo vigesimo primo, quo Leo ipse fato cecidit, & cum eo generis humani deliciæ, ac decora Musarum, quæ, vt in domo Laurentij Medices natæ, sic cum Leone obijsse videbantur,nullo deinde simili Mecænate renato; tanta enim benignitate ingens Poetarum numerus tunc à Leone exceptus fuit, vt illud sæculum, nec Augustum, nec Mecænatem desiderauerit. Horum Poetarum numerus habetur in quodam Arsilli Senogalliensis Libro,quem Paulo Iouio dedicauit, quos inter hoc disticho noster Colotius laudatur.

Si te, Coloti, Musarum candide Alumne,
Prætercam, vates inuidiosus ero.

Mortuo igitur Leone, Colotius eo infeliciorem se credidit, quo feliciùs in Aula triginta annis versatus fuerat. Quod

Quod & ipſe teſtatur, & confirmat Pierius Valerianus in Dialogo de Hominum Literatorum infelicitate, dum Colotium cum Melino ſic loquentem inducit: *Mecum ſentis, Meline, qui dictitare non deſino, nihil homine literato, qui nunc viuat, infelicius*. Id tribuitur ſeueritati Adriani VI. qui Leoni ſucceſſit, cuius Pontificatus Doctorum Virorum dictis maledicis expoſitus ; atque obnoxius fuit ....

Adriano è viuis ſublato ſuffectus fuit Clemens VII. qui viſus initio affulgere Literatis Viris, inſtar improuiſi ſideris (ex Leonis enim familia, & contubernio prodierat) derepentè more fulminis apparuit, non modo ſpe literarum euaneſcente, ſed rerum tempeſtate Italicarum excitata. Colotiò tamen alia ex cauſſa hic nouus fulgor arriſit, quòd videlicet Pontifex adamaret Io: Matthæum Gibertum, quem Datarij dignitate inſignitum Colotius hoc Epigrammate ſalutauit.

Grandia pollicitus præſtat maiora Gibertus,
Contentus dictis non dare vela ſuis.

Non modo largus opes, tacita quod mente recepit
Magna dabit nobis, quæ putat esse parum.
Dÿ iuuenem seruent, cursum fortuna secundet,
Qui vates turpi seruat ab interitu

Et mox sensit beneficium Pontificatus, ornatus iterum Ecclesiæ Nucerinæ reseruatione, quam illi Leo concesserat: Siquidem Laurentius Puccius tit. Sanctorum Quatuor, in Senatu die 14. Decembris anni millesimi quingentesimi vigesimi tertij habito, cum retulisset a Leone X. statutum, vt Episcopatus Nucerinus, seu moriente, seu spontè cedente Varino Episcopo, qui pariter consentiebat, per reseruationem ad Colotium Clericum Aesinum deferretur, sed dubitari, num hæc reseruatio per Cancellariæ leges abrogata fuisset, Clemens reseruationi annuit.

Paulo post ab eodem Pontifice Colotius impositus fuit regendis Asculanis in Piceno, quorum Vrbs id temporis factionibus abundabat, adeoque fidem Præsidis, prudentiamque summam exi-

gebat: ſed vix regimen auſpicatus aſperiùs tractatus fuit à Bernardo Lentio, Cameræ Apoſtolicæ Quæſtore, qui ſtipendium denegabat eam ob cauſſam, quod Angelus, antequam ad Vrbem veniret, aliquot hebdomadis maturiùs, quàm par erat, præmiſiſſet eò Stephanum Senenſem, qui Auditoris munere fungeretur, vt ipſius nomine regimen acciperet. Sed lis compoſita eſt per iudicium Antonij Hieronymi à Cariato, Piceni Prolegato, & Aſculi Commiſſario.

Quàm prudenter in hac Aſculana Adminiſtratione, vtiliterque ſe geſſerit, liquet ex teſtimonio B. Caſalis Vaticani Canonici, ſic eum laudantis.

Omnis te, Angele, municeps probauit,
Et Sicarius omnis odit: ergo
Et Sicarius omnis approbauit.
Non eges alia adprobatione.

Pontifex quoque Adminiſtrationem probauit, quamuis non probauerit citum inde diſceſſum, cuius quænam cauſſa fuerit, colligere eſt ex ipſius cum Clemente colloquio; cum enim de genio Aſculanorum colloquerentur, qui

accusati fuerant de morte Præsidi cuidam accelerata, Angelus subiecit, *ipsum eò missum, vt Pontifex lucraretur prouentus munerum ex eius obitu ad Pontificis arbitrium recidentium.*

Interim Colotius cæpit podagra, malaque valetudine in reliquis vitæ officijs tentari, vti habet Valerianus in Dialogo; proinde consilium otij literarij accuratiùs excolendi animo insedit: totus itaque fuit in literis, quas loco curarum, & negotiorum, imò & amicorum habebat, arbitratus infra illas esse omnia. Habitatio eidém erat in ea Vrbis parte, quam Parionem vocant; quemadmodum constat ex domesticis eius tabulis, à me nuper apud Aesinos recognitis, & ex ijs Pierij Valeriani versiculis.

An nos moremur viuere Principes
Quod se vltro perdunt cædibus. I puer
Accerse iucundos sodales
Ex Platea Parionis alta;
Colotium, Granam, Petrosanctium,
Et Lælium, Maffæumque.

Sed antea, anno scilicet millesimo quingentesimo decimo tertio, illi vendiderat

derat Iacobus Ceccarinus Romanus, prope fundos Dominici Maximi & Matthæi Bonfinij, vineam, & ſitum ædificationi opportunum, cui ſtatim manum admouerat, ædibus, hortiſque elegantiſſimis inſtructis, vbi viſus eſt inſtaurare veterem magnificentiam ſimul, & amænitatem hortorum Salluſtianorum, quos in ea parte Vrbis poſitos ipſe rerum, antiquitatumque Romanarum peritiſſimus fuiſſe cenſebat; adeoque eodem nomine ſuos appellabat. *Cum Romæ eſſemus in Hortis meis Salluſtianis, incidimus in ſermonem de huius mundi partitione.*

Quæ de his Hortis Pyrrus Ligorius Libro 1. Antiquitatum Romanarum ſcripta reliquit, hic libens tranſcribam, vt harum rerum curioſis ſpecimen aliquod præbeam admirandi planè, ac vaſti operis, quod beneficio, & humanitate præſtantiſſimi iuuenis Marchionis Ioannis Zandemaria in Bibliotheca Farneſiana legere, & euoluere ſæpius mihi licuit. *Amiterninus fuit C. Salluſtius Criſpus Hiſtoricus, qui militiam ſecutus magnas opes acquiſiuit; quibus Romæ forum Salluſtianum Hortoſque Salluſtianos deinde exſtru-*

xit: Horti illi vario situ partim in colle, partim in valle fuere, ea extructionum magnitudine, vt postea Cæsarum sedes, & habitatio fuerit; quorum studio ita ampliata fuit, vt superbissimis ædificijs emineret. Habuit enim porticum mille columnarum, vt ait Philo, thermas, mansiones, prospectus amœnissimos, ita vt nec vmbra, neque Sol vnquam ibi deficeret. Erant ibi & Templa, & Hippodromus, siue Circus, in quo erectus stabat obeliscus ex marmore Arabico pyropoicilo, insculptus notis hieroglyphicis. Cingebant eum vndique ædificia admirandis substructionibus, & frontispicijs ornata, irrigabantque aquæ lateritijs ductibus immensi sumptus eò perductæ: Statuæ circumcirca eum ornabant incomparabili pulchritudine, & numero innumerabiles. Erat ibi Templum Veneris rotundum cum periptero columnarum striatarum marmoris candidi, & ordinis Corinthij, cinctum porticu, quod ex æditiori loco imminebat foro Sallustiano. Forum hoc medio erat situ inter podia diuersa partim eminentiora, partim depressiora. E regione fori situ maximè edito erat templum Dianæ Sallustianæ, & paulò interiùs fanum

Pro-

Proserpinæ. Templum Dianæ erat tripertitum ordinis Ionici; in vna parte quadrata erat ædes Musarum, in altera rotunda Apollinis, in tertia hemicycli forma erat ædes Dianæ & Appollinis Communi. Huic parti adiunctum erat ædificium triclinium cubiculis vndique cinctum continens, vt apparebat ex fundamentis, quæ ad vineas plantandas funditus dirui vidimus. In hisce ruderibus eruta fuit basis hac inscriptione.

M. AVRELIVS. PACORVS
M. COCCEIVS. STRATOCLES
ÆDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALLVSTIANORVM. BASEM
CVM. PAVIMENTO. MARMORATO.
DEANÆ
D. D.

Haud procul à templo Dianæ inter ruinas repertæ fuere aliquot statuæ, magnitudinis humanæ, mediæ, vt vocant prominentiæ, siue releuationis. Continent illæ Historiam Niobes, & filiarum, quas Diana & Apollo sagittis interemerunt. Alio in loco reperta fuit imago Bacchi *& Satyri, qui puerulum brachijs complexi blanditijs mulcent: ea nunc seruatur apud Mutos nobiles Romanos. Et in alio podio, vbi thermæ fuerant,*

rant, repertæ sunt aliquot Nymphæ Fontium. De quibus egi in Descriptione Romæ. Totus ille Hortorum Sallustianorum locus varijs nunc vineis occupatur, nimirum Angeli Colotij, vbi nunc basis illa conseruatur; & Papiensis Episcopi, & Episcopi Muti; tum etiam Francisci Sybillæ, & Patrum Sancti Saluatoris in Lauro (nunc Principis Prænestinorum) *cum multis alijs vineis priuatorum, quæ sunt inter portam Collinam, Pincianam, & Salariam.*

Erat in his Hortis, & Aedibus Colotij ingens numerus veterum Signorum, seu Statuarum, magnamque ex ijs partem illi vendiderat anno, supra mille & quingentos vigesimo, Gentilis de Gottifredis (vti liquet ex formula soluti pretij, quæ adhuc extat;) quod fortasse abnuissent eiusdem Gentilis posteri Franciscus & Brutus de Gottifredis, qui summo labore ac sumptu Numismata, aliaque veteris æui monumenta erudita, seu Græca, seu Latina, seu externa, collegerunt.

Andreas Fuluius memorat inter alia monumenta ab Angelo Colotio collecta, fuisse signum Socratis Alcibiadem

com-

complectentis, Iouis Ammonis, Prothei, Aesculapij; Praeterea signa Mensium, cum Dijs Tutelaribus: Et quamuis per ipsius mortem plurima vendita fuerint, nonnulla tamen ex ijs remansere; cumque eius haereditas ad Iacobum Colotium Nepotem sobrinum, videlicet filium Hippolyti, qui ex Framio editus fuerat, peruenisset, Vlysses Aldrouādus in Libro edito de Statuis antiquis complura in eiusdem domo manere asserit.

In Domus atrio ad dexteram collocata est in quodam forulo Statua foeminae seminudae, superque monstrum Marinum sedentis.

Extant in muro plures abaci marmorei varijs figuris aliquantulum eminentibus insculpti:

Spectantur etiam geminae pilae, & plurimi sepulchrales lapides cum Epitaphijs, vetustisque fragmentis.

Praeter multa Epitaphia visitur in muro vetustior pila repraesentans Iuuenem nudum, panno, cui globulus inerat, humeros ambiente: habet insuper hic Iuuenis in manu sagittam, cui leniter caput accommodat; ad pedes vero habet Aprum distentum,

tum, cui adest Canis quasi eum lacerans.

In Mensula Marmorea ad Culinæ ianuam se offerunt duo Tauri arbori alligati, domitiq; per vim à quodam, qui eorum capita in altum attollit.

In quodam Cubiculo prope Ianuam domus cernitur fæmina cooperta. Ibi etiam cernitur altera fæmina, sed capite detruncata, quam ferunt esse Victoriam Deam apud Militares Viros celebrem. Aliud quoq; Victoriæ signum ibidem extat. Extant etiã Thyrsi quatuor vetustiores cum pluribus capitibus, concinnisque fragmentis.

In alia domo eiusdem Iacobi Colotij è regione supradictæ spectatur Antinoi caput, cui adiunctum reliquum corpus recentiori manu conformatum.

Idem Fuluius pariter refert Pedem, quo Romani olim metiebantur, penes Angelum fuisse; ex qua mensura liquet quantum hallucinentur, qui de Pede Romano scripserunt, ac in primis Budæus: Leonardus certè Portius Vicentinus ex hoc pede quem vocarunt Colotianum, veritatem rei disceptatæ deprehendit. Hic Pes insculptus erat basi marmoreæ tumuli Cn. Cossutij, in eius-

dem

dem Angeli ædibus ad Montem Pincium repertus, cùmque ſimul Malleus Aapitatus, Celtes, Circinus incuruus, Circinus rectus, Norma, & libella cum perpendiculo, inſculpta eſsent, patebat vel Architectum, vel Sculptorem ibi tumulatum. Hæc porro baſis poſt Colotij funus à Gentile Delphino empta, in huius illuſtris familiæ Aedes translata eſt.

Huius Colotiani Pedis figuræ Philander in lib. 3. Vitruuij ait congruere figuram alterius Pedis inſculpti in Monumento T. Statilij in monte Ianiculo reperti; quamquam Lucas Pætus ſentiat eumdem Pedem non eſſe propriam Romani Pedis menſuram, ſed ipſius imaginem.

Habuit etiam Angelus antiquum Sextarium, cum Imperatoris Honorij inſcriptione, & Lucas Pætus dum eſſet adoleſcentior, à ſe viſum in Angeli manibus narrat: Eius forma erat rotunda, baſis plana, altitudo maior quam latitudo, & ab imo ad ſummum æqualis.

Sic ipſe bonarum Literarum, artiumque liberalium vtilitati proſpiciebat; at-

que

que hac etiam caussa, loco peripetasmatum, parietes domesticos ornauerat marmoribus Literatis, quibus plurima cognoscebantur Historiæ opportuna. Celebres sunt Fasti Consulares Colotiani, laudati à Bartholomæo Marliano in Libello de Consulibus, Dictatoribus, & Censoribus, ab Aldo Manutio, à Iusto Lipsio, alijsque: in quibus Fastis non solum habentur Consules ordinarij, sed suffecti.

Abundauit Inscriptionibus adeo, vt Aldus Manutius in sola Ortographia viginti apud Colotium extantes laudet, & Panuinius ingentem earum copiam numeret.

Fuit illi plurima vis Numismatum, & quidem ex auro concinnè conformatorum; Præterea Cimmelia, quæ Cæmeos vocant, gemmæ, aliæque imagunculæ singulariter elaboratæ, vti Pierius Valerianus in Hieroglyphicis testatur, apud eundem Angelum abundè numerabantur. Adeoque eius Horti & Aedes speciem iucundæ, perpetuæque Bibliothecæ præferebant.

Nec minor illi copia erat lectissimorum

rum

rum Librorum, qui Doctis Viris vſui fuerunt. Sic Raphael Volaterranus Opuſculo Iulij Frontini, & altero Iunij Nipſi, venuſtiſſimis imagunculis contexto, ſic etiam Auguſtinus Steuchus quodam Plinij exemplari ſatis concinno vſus fuit.

Porrò hæredes queſti ſunt ex tanta Librorum multitudine paucos ſuperfuiſſe, qui decem arcis continerentur; quod ideo refertur, vt conſtet quàm ingens eius Bibliotheca fuerit. Horum autem Librorum pars, Marco Antonio eius filio extincto, ad Fuluium Vrſinum tranſijt. Itaque Angelus meritò ab Andrea Fuluio nuncupatur *Vnicus Antiquitatis amator*, & à Volaterrano *Vir ornatus, omniſq; vetuſtatis ſtudioſiſſimus*. Sed de his Hortis orationem claudamus ijs verbis, quæ apud Panuinium in Libro 2. Faſt. habentur.

Hortuli Colotiani ad aquam Virginem ſiti, maxima vetuſtorum monumentorum copia inſtructiſſimi, quæ primis illis temporibus, quibus antiquitatis ſtudium caput extollere cæpit, vnus Angelus Colotius ſanctiſſimus, doctiſſimuſque vir eo in loco ſumma

ma cum diligentia hinc inde collegit, magnam mihi Inscriptionum multitudinem suppeditarunt.

Lucius Faunus in Antiquitatibus Romanis refert Aquam Virginem per hortos Colotianos ductam esse, atque in iisdem, quos in Campo Martio sub colle Hortulorum sitos memorat, hanc Incriptionem se offerre. *Ti. Claudius. Drusi. F. Cæsar. Augustus. Germanicus. Pontifex Max. Trib. Potest. V. Imp. XI. P. P. Cos. design. III. aquaductus. Aquæ. Virginis. disturbatos. per. C. Cæsarem. à. fundamentis. nouos fecit. & restituit.*

Lucas Pætus quoque commemorat eamdem Inscriptionem lapide Tyburtino descriptam sub Monte Pincio in Hortulis Colotianis fuisse.

Impetrauit autem Colotius vt ex eadem Aqua virgine excitaret fontem, qui duobus syphonibus diuisus delicias illi & commoda præbuit. Quare sic de eo quidam cecinit.

Pocula habent alij ter terna à Virgine Vates.
A dena noster Virgine Colotius.

Neque hoc solum carmen ad fontem exor-

exornandum, sed plurima alia condita sunt, ex quibus quædam recitabimus lectu dignissima, quale hoc.

Sacri Vestæ ignes, & lucida Virginis vnda,
Roma olim sedes Virginitatis erant.
Flamma perit, remanetque liquor, gelidoque fatetur
Quod sit tuta magis corpore Virginitas.

Ita etiam illud

Roma nouem superest ex ductibus vnus aquarum:
Vna tibi dulces Virgo ministrat aquas.
Nil longi rabies huic temporis improba dempsit;
Hæc habet à Diuis præmia Virginitas.

Et aliud;

Polluti Venere este procul, seu fœmina, seu vir;
Impuros puræ Virginis horret aqua.

Illud etiam:

Hoc nemus vmbrosum, hæc vndam exceptura cadentem
Marmora rara meus dat tibi Colotius.
Tu memor infusum Lymphis da Virgo pudorem,

Illi olim fuerit filia si qua bibat.

Marcus Antonius Casanoua mente, ac stylo purissimus sic cecinit:

Quàm benè confugit Virgo in tua tecta Colotî;
Non alio potuit tutior esse loco.
Iam tua nomen habet Lympha; at tu præfica Virgo
Incipis Aonius vatibus esse liquor.

Hoc etiam perlectum fuit:

Tu siccam quicumque sitim restinguere quæris,
Dum placidè ad murmur Lympha quiescit aquæ.
Parce precor strepitu, sic longo hic tempore potus
Sit tibi, & ad laibes pocula serus eas.

Inter alia autem plurima, quæ de hac re scripta sunt Epigrammata, illud tantummodo insculptum fuit, quod ab ipso Colotio exaratum videtur.

Huius Nympha loci, sacri custodia fontis
Dormio dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meum quisquis tangis caua marmora somnum
Rumpere siue bibas, siue lauere, tace.

Exa-

Exarauit idem Colotius hæc, quæ infra recitantur, Carmina in eo ductu, vbi Aquæ Virginis origo perhibetur, in gratiam videlicet Augustini Triuultij Cardinalis, qui ibi nobiles Aedes construxit, quæ ad Collegium Canonicorum S. Mariæ Maioris nunc pertinent.

Sacri huius Regina loci Dea fontis amæni,
Quæ læta Augusti Principis arua rigas,
Nunc post tot curas & fessum puluere, & æstu
Sparge salutiferis Nympha solonis aquis.
Ille, tibi geminis faciens caua pocula palmis,
De non suspecto sæpe liquore bibat.
Perque tuos latices nantes longo ordine cygni
Oblectent Dominum turba canora suum.
Sic tibi cæruleis vndis, riuoque perenni
Perpetua liceat virginitate frui.

Porrò Solon dicitur locus, vbi eiusdem Aquæ Virginis cunabula extant, quam Colotius alloquitur alludens ad Aedes eiusdem Cardinalis & amici & Domi-

 ni.

ni. Etenim Colotius eiusdem Aquæ riuos aliquot (vt paucis eius originem explicemus) collegit, cum Romæ id temporis desideraretur tanta vis, quanta postea succreuit opera summorum Pontificum Pij IV. & Pij V. etsi eorum nomina nullo pacto appareant in loco, vbi illa publico vsui manat. Et Lucas Pætus opusculo certo complexus fuit rationem, artemque, qua in Vrbem deriuata fuit; vti & Augustinus Steuchus alio opusculo Pontifices ad huiusmodi rem Principibus dignissimam aggrediendam hortatus fuerat; auctore forsan Angelo Colotio, cuius etiam suasu Libellum de suæ patriæ nomine ediderat, vti refert Ambrosius Morandus Bononiensis Canonicorum Regularium S. Saluatoris Præses Generalis, in eius vita. Porrò Nicolaus Quintus modicam eius portionem tantum non procul Roma mille videlicet passibus, extra Pincianam Portam ad Pontem Salarium inuenerat, quæ subterraneo & profundo meatu per eandem Portam inducta sub colle Hortulorum sese attollens, demum per Hortos Colocios ibat in eum

locum

locum, qui Triuium dicitur, vbi & ante paucos annos extabant eiusdem Pontificis insignia. Sed Pius IV. tum suæ, tum Populi, & Cleri Romani sumptu, eius latè ducendæ prouinciam commisit Antonio Triuiso Lupiensi, qui multa spondens, nil præstans, professus fuisse, accepto viginti quatuor millium aureorum pretio, huiusmodi Aquam deriuaturum: adeoque destinati fuere, qui operi adessent Marius Frangipanus Populi Romani Cancellarius, Rutilius Alberinus, Horatius Narus, Lucas Petus, & Gabrio Serbellonus Pontificis sororis filius, qui præesset. Verum interim orta inter Triuisum, & Fabros cæmentarios dissensione, operi manus vltima imponi haud potuit, præsertim vita functo Pio Quarto; cui cum successisset Pius Quintus, Triuiso etiam extincto, ac viginti quatuor millibus aureis iam exhaustis, itum est in sententiam, fore, vt adiecto decem millium aureorum pretio, res ad finem perduceretur. Itaque collato in idem opus Vini vectigali, Præsidibus Cardinale Riccio, Naro, & Pęto, ac Iacobo a Porta, & Bartholo-

mæo Gritto Architectis, Aqua Romam deportata est; nullum tamen ibi monumentum apparuit eorumdem Pontificum, cum Pius Quartus occidisset, opere nondum perfecto, & Pius Quintus præ modestia recusasset suo nomine insignire opus à superiore Pontifice inchoatum. Vrbanus demum Octauus, multorum aureorum millium impendio, magnam aquæ ductuum partem instaurauit, & plurima vi aquæ, quæ interciderat, recuperata, ad meridiem vertit pegma: quod ad Occidentem vergens in Triuio aquam publicè ac amplissimè effundebat tribus maximis siphonibus dispertitam. Proposuerat eidem adijcere & Virginis statuam & alia ornamenta, Equitis Bernini ingenio delineata, sed bellicis curis impeditus consilium exequi haud potuit. An Virginitas fato quodam hæc ornamenta respuit, vt intacta per se ipsam oblectet?

Huius igitur Aquæ in Solone nascentis originem se aduertisse probè indicat Colotius eo epigrammate, quod ad Cardinalem Triuultium misit: & quamquam illa nondum Romam vidisset, tamen

tamen pluribus carminibus passim à Poetis laudatus est, quod eius riuulos in suis Hortis collegisset; vti patet ex hoc epigrammate:

Omnis Aquæ Latiam ductus defecerat Vrbem;
Virgineusque super iam liquor vnus erat.
Ipse quoque exiguo periisset tempore; si non
Prouida Colotij cura tulisset opem.

Et Vopiscus Poeta Neapolitanus mea sententia modum eius colligendæ hoc scazonte tradidit:

Fontes videmus supra cum vices mutant;
Primo loco obstito scatent vicino,
Et supra demisso alueo suo flumen
Cursu liquenti nare proximis campis:
Sic fama vices cum volucris alternat
Vno loco diffusa proximo surgit.
Sallustianos extollit priscis hortos
Iam splendida celebritate donatos
Extincta nunc agro resurgit vicino
Colotianis hortulis caput tollens.

Hinc adfirmare necesse est Colotij tempore modicam Virginis Aquæ portio-

nem à Nicolao Quinto repertam, & collectam canalibus, vel perijsse, vel æstate exaruisse; atque à Colotio, seu priuato sumptu, seu publica auctoritate restitutam.

Horum verò temporum lætitia, & frequens doctorum virorum consuetudo famam attulere Colotianis Hortis; inde illorum foribus illud distychum à quodam inscriptum est.

Hic Genij locus est, Genij vna cura voluptas
Aut Genij viuas legibus, aut abeas.

Et illud aliud

Hic iocus, hic felix habitat sine lite voluptas.
Et Genius: cedant iurgia, cura, labor.

At Colotius non prætermittebat animos Amicorum aduentantium irrigare optimo vino, vbi aqua liberaliter hortos irrigabat.

Esse negat vatem quis te Angele? bina Poetæ
Numina habent: dextrum numen vtrumque tibi.
Tam bona non vlli concedit carmina Phœbus.

Nifeus

Nifeus nulli tam bona vina Deus.
Itaque Colotiani Horti ijs tantum voluptatibus affluebant, quæ ex bonis artibus oriebantur. Et reuera quid Literato Viro iucundius accidere poteſt, quam de ſuis ſtudijs conferre ſermones, nobilique mercatura ſeu dare, ſeu eripere alijs ea quæ dum dantur, acquiruntur, dum auferuntur, donantur cum lucro?

Hinc Socrates alter Colotius habebatur; nec ſine quodam fortaſſe myſterio eiuſdem Philoſophi Alcibiadem complectentis ſignum ibidem tenebat, quaſi oſtendens quanto ſtudio curaret Iuuentutem virtutibus & literis imbuere; quapropter Iouius alienorum vitiorum haud diſſimulator, in elogio Eliſij Calentij ſcriptum reliquit: *Colotium ab eruditi ingenij candore virum lectiſſimum fuiſſe, quem viuido ingenio ſenem & ſacrata infula clarum ſalubris eloquentiæ præcepta in hortis ingenue tradentem ſuo tempore Romana Iuuentus colebat.*

Nec Romanam tantùm huc Iuuentutem, ſed Academicos omnes, vniuerſamque Aulæ nobilitatem pertrahebat: adeo,

adeo, vt P. Summontius in Epiſtola præpoſita Libello Ioannis Pontani de Magnanimitate dixerit hæc verba: *Nam quid ego de te hac in parte dicam? qui præter quàm quod domus tua doctis, & bonis omnibus veluti commune quoddam hoſpitium ſemper patuit &c* Sic Domus Colotij Domus Muſarum videbatur; cui Baptiſta Caſalis hoc epigramma inſcripſit.

Redde Heliconа mihi; redde, inquit Apollo, ſorores.
Dic vbi ſunt, inquam: dicam ait ex tripode
Muſa habitat, ſpretis, Baſſi penetralia, Delphis,
Illique æternis fons ſcatet vber aquis.
Redde libens, inquam, te Phæbe tuiſque, tibique:
Non alio poteras gratior eſſe loco.
Muſarum ſed me ſacris admitto volentem
Caſtalioque meo prolue fonte ſitim.

Neque tamen Colotius ſolum documentis liberaliter omnes iuuabat, ſed auro etiam infelicitatem plerumque Literarum comitem ſubleuabat. Pierius

rius Valerianus in opuſculo de Literatorum Infelicitate, vbi inducit Contarenum Venetum Oratorem, Epiſcopum Granam, Colotium, alioſque loquentes, ſic de Scipione Carteromaco loquitur: *Romam reuerſus apud hunc Colotium noſtrum, cuius in Literatos omnes liberalitatem nemo noſtrum non expertus eſt, quàm coniunctiſſimè conuixit*. Erat Colotius Literatorum, vt ille ait, Coriphæus, quod & idem Pierius Valerianus oſtendit. *Et vt à noſtro demum ordine recedamus, nunquam Antonij Maroſtici ſine dolore meminerimus, quem noſtra, Contarene Regio ad nos miſerat, quem Colotius, quem docti omnes Romæ, & amabant, & venerabantur*. Vbi apertè nominans Colotium, alioſque Literatos ſubindicans, videtur eum reliquorum principem agnoſcere: quare Hieronymus Taſtis ab oppido quod dicitur, *Rocca Contrada*, vir probe doctus illi ſcribit vti *Literatorum parenti*; & Lucius Calentius eumdem nominat *Bonarum artium perfugium*.

Vnicus hoc tenues miſeratus tempore vates,

Mace-

Mæcenas gratam præstitit alter opem.
Cecinit de nostro Colotio Franciscus Pamphilus in laudes Piceni.

Itaq; mirum non est si complures illi libros dedicauerint, vti idem Calentius Poeta tanti nominis, vt Pontanus acutissimi iudicij vir non dubitauerit dicere: *Perlegi ad Colotium nostrum carmina antiquam illam dicendi maiestatem prouocantia.* Quin idem Iouianus Pontanus inscripsit illi tertium Opusculum de Fortuna, & aliud eiusdem de Magnanimitate Petrus Summontius, Mancinellus suorum Sermonum decadem, Augustinus Staccolus Vrbinas versus Italicos, quos Rimas à rythmo dicunt; & N.N. versus Latinos. Præcipuo amore complexus est ipse Seraphinum, cuius mortem epigrammate Italico satis concinno celebrauit; Pierius Valerianus, Mediceorum Alumnus, illi dicauit Lucubratiunculam; *De his, quæ per olorem, lusciniam, Psittacum, & alios aliquot aues significantur, ex Sacris Aegyptiorum literis.* Et ex epistola, quam illi scribit, vti & ex alijs eiusdem operis eruditissimi locis, probe patet quantum

&

& amauerit Colotium, & laudauerit. In quadam etiam diſputatione de Italica Lingua eum inter primarios colloquentes inducit, indicatque familiariſſimum Iulij Cardinalis Medicei poſtea Clementis Septimi, quamuis & Leoni Decimo, & Paulo Tertio gratiſſimus fuerit. Quod non eſt mirandum cum Angelus, ſimul cum alijs ingenij dotibus, ſummam coniunxerit vrbanitatem, ſuauitatemque conſuetudinis, argutijs, facetijſque ſerendis peritè incumbens, adeo vt hanc veluti ipſi propriam dotem laudauerint doctiſſimi & ſeueriſſimi illius ętatis Scriptores, atque in primis Iouianus Pontanus à Iouio nimiæ acerbitatis incuſatus; quamobrem hæc laus pluris facienda eſt quàm aliud ab amico ſtylo elogium. Nec importunum aut præter rem duxerim referre quædam Pontani loca in Opuſculis de Sermone hanc Colotij iucundam facilitatem teſtantia. Lib. 2. de Hypocritis: *Iure igitur*, inquit, *Vmber meus mihique perneceſſarius A. Colotius Baſſus, vir & doctus pariter, & iucundus vſurpare conſueuit, nec Aquinatem Thomam,*

nec

nec Ioannem Scotum plures reliquisse Auditores, doctrinaeque suae sectatores, quam Ioannes hic, cui factum sit agnomen à Vitellis, imitatores reliquit, ac discipulos. Consuerat enim die, cum aut aries ferocculus offerretur, aut vitulus, contremiscere ad eius aspectum, noctu verò ex armentis vegetum quemque siuè bouem, siuè taurum apprehensum cornibus, vesteque illigatum secum trahebat ad forum & mercatum. Lib. autem 4. ait: *Simile est familiaris nostri Colotij Bassi viri admodum iucundi, cum enim per iocum obijceretur ab amico quod nimia ventris eius esset parsimonia; Gratulor liberalitati tuae, respondit, quod plura multò des ipse quam accipias, laborabat enim ille saepissimè ventris profluuio.* Eodem libro de risu prouocando; *Extat exemplum quoque A. Colotij in lacessentem, deque dictione met sua prorumpentem in cachinnos, nam cum hiscentem illum Colotius cerneret, Hia, inquit, hia, mea monedula, en adest mater cum lumbriculo, quae tibi pappam dabit.* Libro demum sexto agens de facetis narrationibus: *In hoc autem ipso iocandi genere comis est admodum ac periucundus A. Colotius noster tum*

pro-

propter insitam ei à natura perraram quamdam in dicendo hilaritatem, tum propter egregiam Literarum peritiam, rerumque plurimarum vsum; quo fit vt in explicandis fabellis, in epigrammatis, comicorumque Poetarum dictis referendis, ac lusibus mirificè delectet; & paulò superius dixerat, vti retulimus, *Vmber meus mihi pernecessarius A. Colotius Bassus vir & doctus pariter, & iucundus*.

Hæ igitur à natura, à fortuna & ab industria prærogatiuæ omnium beneuolentiam Colotio conciliabant, adeo vt citra controuersiam *esset Vrbanorum Ingeniorum coryphæus*, quemadmodum ille asseruit, eiusque domicilium instar perennis Academiæ. Primus omnium qui Academiæ nomen pridem sepultum excitauerit, fuit Pomponius Lætus. Is cum in monte Quirinali præclaros hortos possideret, vna cum idoneis ædibus, (in quarum fronte insculpta erat inscriptio POMPONI.LAETI. ET. SODALITATIS.ESCVILINALIS. non FVSCVLINAE; vti se legisse venditabat Cæculus quidam non vulgaris, sed primariæ dignitatis homo,) quas Viri Docti fre-

frequentabant, eidem loco tribuit illud nominis, quo celebris fuit ſeceſſus Platonis, ſex ſtadijs extra Athenas morantis; quod & imitatus fuit Cicero, qui & Villam ſuam, in quam ſtudiorum cauſa ſeceſſerat, Academiam nuncupauit. Sic etiam Colotius hoc ſuum domicilium, cum præſertim ibi amæni horti adeſſent, Academiam appellauit; Academicique appellati fuere qui eò docti commercij cauſa confluebant. Inde propagatum nomen Academiarum Romæ, & in Italia. Neque mihi conſtare potuit alia huius nominis origo, cum alia non conſtet inter hos & antiquos Academicos, dictos veteres ac nouos, ſimilis ratio. Illi quædam axiomata & dogmata certa profitebantur; Hi liberè nulla lege per omnes diſciplinas, & artes vagantur, deque omnibus pro arbitratu diſceptant.

Porrò huiuſmodi Literati Cætus exhilarabantur conuiuijs, & recitationibus Scriptionum, quæ in dies ab vnoquoque conficiebantur; cum nihil opportunius literis accidat quàm mutuum commercium. *Vtile igitur eſt habere*

quos

quos imitari primùm, mox vincere velis, ait Quintilianus.

Sic ingenia magis magiſque excolebantur, & æmulatione interpoſita, quiſque tum ſcribendo, tum recitando reliquis excellere ſtudebat. Nec, extincto Pomponio Læto, Academia locum alium certum habuit, quo ſe reciperet, quàm domicilium Colotij, iam liberi, & ſenis; quò tamen non inſtar aduenæ ac alienigenæ acceſſit. Id confirmat in ſua ad Colotium epiſtola Iacobus Sadoletus,

Ac mihi recordanti ſpatium præteriti temporis, & vetera animo repetenti, cum & plures conuenire ſoliti eramus vnà, & erat ætas noſtra ad omnem alacritatem, animique hilaritatem longe aptior; quoties venire in mentem putas eorum cætuum, conuiuiorumque, quæ inter nos crebro habere ſolebamus? cum aut in Hortis tuis ſuburbanis, aut in meis Quirinalibus, aut in Circo maximo, aut in Tyberis ripa ad Herculis, aliàs autem alijs in Vrbis locis conuentus agebantur doctiſſimorum hominum; quorum vnumquemque, & propria ipſius virtus, & communis cunctorum prædicatio

D com-

commendabat. Vbi, post familiares epulas, non tam cupedia multa conditas, quàm multis salibus, aut poemata recitabantur, aut orationes pronunciabantur, cum maxima omnium nostrum, qui audiebamus, voluptate: quod & summorum ingeniorum in illis laus apparebat; & erant illa tamen, quæ proferebantur, plena festiuitatis, & venustatis. Quo in genere recordor pressū, & acutum Casanouam, Capellam lætum sonantem, magniloquum Vidam, & cuius proximè ad antiquam laudem carmen accederet; castigatum, & prudentem Beroaldum; vberes autem, & suaues Pierium, Granam, Mathalenum, Blosium, quosque complures nostra perspexit ætas partim carmine, partim soluta oratione eximios, cuiusmodi Nigrum nostrum Tulliana in dicendo grauitate, Antoniumque Venantium, & Binum in vtraque enitentem lingua: Acres autem in iudicando, & in primis acutos Vbaldinum, & Antonium, cui Computistæ cognomen est. Quo è numero multi in vtroque genere dicendi egregiam sibi laudem à doctis omnibus comparauerunt. Nam illa ornamenta, & lumina linguæ Latinæ, Phædrus, & Camillus Porcius magno cunctorum in-

com-

commodo iamdiu morte erepta nobis sunt, in quibus sedem sibi videbatur statuisse eloquentia. Cuius nunc honorem, atque nomen consensu iam Vrbanorum omnium, retinet Paulus Iouius, *& in scribenda historia grauis, & in omni genere Literarum perpolitus. Quin, & duorum summorum hominum me admonet recordatio fuisse quoque eorum conuentu nostras aliquando cænas atque epulas exornatas; quorum est vnus Petrus Bembus, cuius in omni virtute laudeque eloquentiæ summa, & singularis semper fuit gloria; alter, qui nuper in Hispania decessit magno cum mærore omnium quibus fuerat notus, hoc est planè omnium, Balthasar Castilioneus, magnus vir in primis, nec solum nobilitate, & genere, sed magnitudine etiam animi, & omni eximia virtute præstans; quique quod in militari viro erat admirandum, omnes omnino artes libero homine dignas, & omnia doctrinæ genera comprehenderat: quem ego recordor sæpe, atque hilarè nostris cœtibus interfuisse; & ipsum, & eum, qui paulò ante est mortuus summa indole ingenij, & spe maximæ virtutis Ioannem Franciscum Furnium ciuem meum. Namque hos*

qui modo ſecutus ſupremum in Gallia *obijt diem, pari cum illis virtute, & nobilitate præſtans Andreas Nauagerius, tametſi noſtris cœtibus minus ſæpè interfuerat: propter excellentem tamen in litteris, & ſcientiam, & gloriam à nobis eſt perhibendus. Lazarum autem, qui nunc abeſt à nobis, cuius in* Græcis*, & Latinis ſingularis eſt eruditio, quique Philoſophiæ, & ſapientiæ ſtudia non ſolum ſcientia, quod faciunt permulti, in quibus tamen excellit: ſed vita, & moribus, & vera virtute complexus eſt; credo equidem vobis in deſiderio eſſe: itemque Marium Volaterranum hominem grauem iam, & dignitate, & annis; ſed cuius admirabile ingenium, ſummamque Literarum cognitionem niſi Vrbs, & Vrbanæ curæ præpediuiſſent, plurimum lucis allaturum noſtro ſæculo non dubito fuiſſe: à quo potiſſimum exhilarabantur cœnæ noſtræ, cum & in laceſſendo acutè, & in reſpondendo omnes ex eius verbis, atque vultu effluerent lepores. Nam Marium Buccabellum, quod audio eſſe incolumem maximopere lætor, hominem cùm omni virtute ornatum, tùm mihi amiciſſimum. Atque inter hos tot, & tales viros, alioſque complures*

plures

plures, quorum omnium nomina prosequi non huius est scriptionis: dulces quoque Corytij iracundias, & gratas ineptias Donati spectare haud displicebat; quos noster Sauoia homo omnium facetissimus, & prouocare solebat studiosè, & ridere. Nam de te, mi Coloti, quid dicam? cuius in animo, & natura mihi videntur Musæ effigiem sui moris, ac decoris insculpsisse, vt esses pudore, virtute, liberalitate ornatissimus; cuius pectus, atque ingenium doctrinis omnibus; domus autem ipsa tua omnibus doctis pateat.

Hi amici, & hæc officia in communi vita æstimabantur eo Seculo, quod aureum habitum vsq; ad ferream tempestatem, quæ Romam pęne perdidit: Hæc accidit anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo septimo, quo Vrbs æterna pæne perijt, tamque pulchra viuendi ratio desijt. In ea famosa Vrbis direptione sensit sua damna Colotius, custodiæ traditus, & bis graui pecunia multatus: vidit flammis collucere suas ædes, tum eas quas habitabat, tum alias quas Romæ possidebat, vnde illi plurimi prouentus: quæ ruina caussa fuit,

vt illæ vel in hortos versæ fuerint ; vel sine tecto , & laquearibus iacuerint . Caruit etiam fructu , quem percipiebat ex Notarij dignitate , amisitque ob præsentes calamitates vectigalia , quæ emerat,non sua , sed Camilli , & Hieronymi de Sanctonis sobrinorum pecunia .

Lilius Gregorius Giraldus apertè tradit Colotium bis fuisse redemptum, ac demum sese in patriam recepisse ; eumque ipse amplius non perciperet fructus liberalitatis Colotij , particeps communis calamitatis , & inops sic conqueritur ,

Non potes hic præsto esse mihi officiose Coloti;
Te tuus Aesis habet , nec te tua plurima virtus,
Musaque protexit , quin digna indignaque ferres ;
Bisque impacatus vitam taxarat Hiberus .

Inter alia mala Colotius doluit se non modo supellectile omni pretiosa , alijsque rebus sibi carissimis exutum , sed quibusdam magnis & concinnis nu-

mis,

mis, ſeu Numiſmatis aureis, quibus poſtea recipiendis impendenda fuit multa pecuniæ vis. Illud tamen ſupra omnia doluit, iacturam videlicet librorum Græcorum, Latinorum, atque Hebraicorum. Et ſane quid grauius doleat Vir literis addictus, quàm ſuis oculis intueri opera Doctiſſimorum, ac Sanctiſſimorum virorum, ſeu barbaris manibus diſcerpta, ſeu in lutum, turpeſque vſus proiecta? Et quamuis moleſta & grauis eſſet iactura editorum Librorum, grauior tamen, & moleſtior ſupra comparationem erat Manuſcriptorum, adeo vt quorumdam nullum omnino exemplar ſuperfuerit. Quantum vero auxit hoc damnum pæne immenſum amiſſio Amicorum, qui vel fato defuncti, vel fuga diſperſi? Nihil enim Angelo antiquius fuit amicitiæ lege, qua de caufsa illuſtris inter alios fuit. Hinc, vti ex Sadoleti Epiſtola liquet, tot Viri conſilio, & ſapientia prçſtantes ab eius virtute, non fortuna pendebant. Idem Lilius Gregorius Giraldus de Colotio hoc tradit: *Angelus Colotius Aeſinus &c. vnus præterea mortalium omnium erga*

amicos non modo viuos, sed etiam vita functos officiosissimus. Et ex Petro Summontio constat illos in primis à Colotio cultos, qui digniores essent. Eapropter contendit, vt Opera Iouiani Pontani typis consignarentur: eidemque statua erigeretur, vti olim Principes Claudiano, Ausonio, Virgilio, alijsque erexere. *Nec solum* (ait Summontius ad Colotium) *scripta hac edenda curas, verum etiam de erigenda illi more maiorum statua, deque assiduis honoribus. Quo fit, vt nulli omnino inferior tua in illum pietas, ac liberalitas habeatur*.

Atq; hoc tradit post summè laudatam eiusdem Colotij liberalitatem in libros Pontani, qua testatur propterea minimè Francisco Picolomineo Aragonio Bisiniani Archiepiscopo concessisse. Dedit etiam operam, vt typis cuderentur carmina Seraphini, Staccoli, Calentij, aliorumque Doctorum Amicorum.

Sed duo in primis memorantur à Sadoleto, quibuscum Colotio summa necessitudo intercessit; vterque dignus nostra mentione est, tum Colotij iudicio, tum sua ipsorum indole maximè lau-

laudandus; vterque doctus, vterque probus, alter Græcus domo, & educatione Princeps: alter magnorum Principum educator, & postea Principum Princeps. Ille summo labore, sed vano ad Principatum recuperandum incubuit; Hic nullo labore nisi virtuti necessario Ecclesiæ principatum obtinuit; vterque adeo Colotio coniunctus, vt dixisses eandem mentem, eamdemque animam in pluribus versari; Alter dictus Ioannes Lascarus Constantinopolitanus, alter Marcellus Ceruinus Tyrrhenus, seu Etruscus.

Lascarum cæpit diligere Colotius à puero, & fortasse apud Despotam Andream Palæologum, paulatimque adiuuit eius de Othomano è Græcia mouendo consilia; quæ non animi seu leuitas, seu tristitia, seu ambitio ingessit quasi Principum gratiam, colloquiumque captaret, sed studium liberandi ex Barbarorum manibus Asiam, & Europam. Porrò Lascarus ob stirpem, multæ authoritatis erat; Iouiusque affirmat neminem Græcorum, post amissam Constantinopolim, tanti consilij Ro-

mam acceſſiſse ; Ipſum & excelſos ſpiritus habuiſſe , & maiores qua Imperatorum , qua Magiſtrorum dignitate inſignes.

Inter Colotij ſcripta, quæ in Bibliotheca Vaticana adſeruantur, extat manu Laſcari exarata breuis formula Epiſtolæ Italicæ, quam ad Carolum Quintum ſcribebat, congruens Iouij dictis. *Florentiæ*, inquit, *effeci apud Laurentium Mediccn, vt honeſtam ob cauſſam ad Principem Turcarum mitterer; bienniam conſumpſi in profectione, ac reditu: diuerſas Regionesnotaui; perpendi potentiam ſtatumque ſeu maritimum, ſeu terreſtrem, moreſq; ipſorum bellicos. Cum acceſſi ad Innocentium adduxi Turcarum fratrem, omnia quæ mihi conſtabant, ad ipſum detuli, ſed is, vel ob aliam cauſam, vel ob Matthiæ mortem haud animum intendit in eam expeditionem, quam promulgarat. Inde cum Carolus Rex in Italiam copijs inſignibus ſuccinctus adueniſſet, ipſum & allocutus fui, & certiorem de ijs feci; ac ſecutus fui, quando pollicebatur ſe, vbi in Galliam rediſſet, maioreſque copias contraxiſſet, rebus Turcicis animum adiecturum. Carolo ex-*

tincto

tincto sæpius egi cum Rege Ludouico, à quo Venetias legatus septem annos in ea legatione duxi, sæpiusque cum Veneto Senatu egi. Parente etiam tuo per Gallias iter habente egi Saonæ; & postea Tridenti cum auis tuis, ac etiam cum Iulio, & cum Leone Pontifice, qui consentientibus tuo Auo & Rege Galliæ ibi morante; Mediolanum cum ingentibus mandatis me misit; & tum maritimis Nuntijs, tum meis literis admonitus de Othomani progressibus, id tractare cæpit, ne Othomanus cresceret. Sic quantum meis viribus licuit; peractum est: Nuper autem, nuntiata tua victoria; Clementem allocutus sum: Vide quid possis cum in tua potestate habeas Regem Christianissimum magnum victoriæ momentum". Sed Lascari studia, & labores in irritum cecidere; cum deessent, qui eius consilia promouerent: Itaque licuit Othomano inuadere Aegyptum, & postea Pannoniam, Viennam vsque, ac demum Cyprum, & Magnam Africæ partem occupare.

At Colotius respondit Lascaro paribus amicitiæ officijs, & viuenti, & mortuo, nobili hoc Epitaphio eius tumulum exornans.

Dile-

Dilectus Musis, & rebus natus agendis,
Quem grauida Imperijs protulit alta domus:
Tot freta dum curris, totque inuia regna pererras,
Ausonia tandem Lascaris Vrbe iaces.
Sed situs in patria es, Graio licèt orbe remotus;
Nulla est virtuti terra aliena tuæ.

Alter Colotij amicus Marcellus Ceruinus fuit, Marcellus ille quem Orbis Terrarum in Solio Vaticano adorauit, paucis quidem diebus, sed cum æterna eius Virtutis ac Sanctimoniæ recordatione.

Hic Romam se conferens primum fortunæ fauorem expertus fuit, compos amicitiæ Colotianæ, qua adeo potitus fuit, vt inter ipsos idem pæne esset exequi & exponere voluntatem. Et quemadmodum Colotius in rebus publicis Lascarum iuuit, sic Ceruinus priuatas Colotij res asseruit. Extat adhuc monumentum solidę inter eos necessitudinis.

Etenim Angelus ne auaritiæ Satellirum

tum mortis concederet, quod in obsequium, vtilitatemque Musarúm reseruabat, confictis nominibus bona sua domestica alijs, siue consanguineis, siue exoticis hominibus, siue Vxori, tanquam dotis portionem attribuebat; vt hac ratione effugeret solutionem grauissimę multæ, sibi ab ipso direptæ Vrbis tempore impositæ; Marcellum quoque Ceruinum elegit, cui quædam prædia diuendita affinxit, Schedulamque idem Ceruinus sua & manu, & subscriptione firmauit, qua testatur, ad Colotium, non ad se pertinere prædia, quæ in Aesino Agro, & domicilia, quæ Romæ ab eodem Colotio emerat, vt sic ipsi Angelo Colotio caueret.

A di 8. di Febraro 1536.

Fò fede io Marcello Ceruini per questa scritta di mia mano, come una compra, quale hò fatta da M. Marc'Antonio di M. AngeloColotio, e per lui da M. Nicolò Fabro da Iesi, al presente Mastro di casa del Reuerendissimo Palmiero, come Procuratore di detto M. Marco Antonio fino al dì del mese

di

di Febraro presente, di due pezzi di terra possessioni à Iesi, e di alcune case, & ancora di case à Roma, come di tutto è rogata M.Bartolomeo da Fano, so fede dico, che la tal compra è stata finta, e non vera, e come li denari, ch'io pagai in presenza del Notaro, e testimonij erano di M. Angelo Colocci, e non miei. Il che si è fatto per saluare al detto M. Marc'Antonio l'offitio della sua Scrittoria Apostolica in euento che M. Angelo suo Padre fosse condannato a torto in la causa della Taglia, e così che nè io, nè i miei heredi li possino domandare le prefate cose comprate, nè io ci hò à fare cosa alcuna, e così dichiaro per questa scritta di mia mano propria fatta in Roma, questo di otto Febraro soprascritto, anno detto.

Idem Marcellus Ceruinus

manu propria &c.

Egregiè hoc amicitiæ officium Colotius compensauit; nam à Paulo III. vocatus, vt Cardinalibus Farnesio, & Sancti Angeli Nepotibus educandis operam daret, causatus & valetudinem & senectutem, proposuit tanquam huic muneri aptissimum Marcellum, qui inde

de sese extulit ad summum fortunæ apicem per summam illam virtutem, quam postea in eodem Pontifice Maximo sæculum superius suspexit.

Anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto, die vero decima octaua Decembris in arcano Senatu Pontifex Paulus III. confirmauit illi Ecclesiam Nucerinam, quam illi Leo concesserat, restituitque statum omnem pristinum, abrogata quacumque lege illi aduersante.

Itaque anno supra mille, & quingentos trigesimo septimo cum Fauorinus Episcopus obijsset, post tantum temporis interuallum, & variam Aulæ Romane fortunam locus reseruationi fuit; & Paulus, consentientibus Purpuratis, nominauit Episcopum Angelum Colocium, laudantibus eius & virtutem Pontifice cum Senatu, & electionem omnibus. Quapropter ipse, vigesimo Aprilis die eiusdem anni, ad Ioannem Benedictum, sibi perquàm familiarem scribit. *Magni quidem facio Episcopatum Nucerinum, sed pluris studium Pontificis, & Cardinalium, qui ad vnum omnes egre-*

gium

gium de me testimonium tulere. Rogemus Deum, vt id saluti animæ meæ bene vertat.

Porrò hic Episcopatus inter alias Vmbriæ Sedes plurimi æstimatur, non modo quia Romæ propior, & prouentibus opimus, sed multo magis Cæli, & aquarum salubritate; adeo vt Magnus Vrbanus Octauus dicere soleret, se huiusmodi Episcopatum si suo tempore Episcopus obiret, non delaturum nisi ad hominem sibi amicissimum. Ergo Paulus Tertius cum non nisi præclaros Viros, qua thiara, qua purpura exornaret, hoc elogium à Colotio retulit.

Est aliquid, bone Paule, nouis te mœnibus Vrbem
Cingere, & obliquas illi aperire vias.
Est aliquid sæuos procul exegisse tyrannos,
Vt populis reddas ocia tuta tuis.
Est & Regum animos placasse in bella furentes,
Et pacem studijs conciliasse bonis:
Sed quia largus opum doctos extollis, & ornas,

Hoc

Hoc est quod superis te facit esse parem.

Literatorum turbæ visus est in Paulo Leonis Pontificatus reflorescere, sed loco profusionis accersita prudenter liberalitate, non minùs Reipublicæ, quàm Sedi Apostolicæ opportuna. Fuerat Paulus Pomponij Læti alumnus, adeoque mirum non est, si literis faueret. Prætereà opus illi erat Viris eruditis, quorum opera vteretur in Concilio, quod rerum Christianarum vrgens necessitas exigebat.

Interim Colotius sua in Sede degens Episcopales Nuceriæ Aedes amplificauit, adiectis varijs ornamentis: Turrim pulsandis Nolis idoneam in Templo suo primario ædificauit; Sentini, quod oppidum Saxoferratum dicunt, excitauit aram, quam Iconem vocant S. Petri, vti eius insignia indicant: exhibuitque se Pastorem optimi exempli tum vitæ innocentia, tum studio salutis animarum, cuius causa suam Dioecesim opportunis legibus composuit. Credidit nimirum, Episcopatum non esse quietis locum, vti complures sibi persuadent, sed onus summi laboris.

Quare quietis cupidus impetrauit à Pontifice, vt sibi liceret Sedem illam transferre ad Hieronymum Mannellum à Rocca Contrada Nepotem; Romamque regressus inter amicos & literas vitam semper laudatissimam ad annum vsq; millesimum quingentesimum quadragesimum nonum prouexit.

Eius cadauer in Templo S. Andreæ, quod vocant ad Fractas, primò positum, deinde in patriam deportatum est, vbi iacet in Templo S. Septimiæ, in Sacello S. Romualdi, ab ipso excitato, eximijsque picturis ornato, in quo nunc Eucharistia colitur, prope Sacellum Saluonæ familiæ claris hominibus dudum illustris; & ego ipse Vrbinum ab Vrbano VIII. missus, eidem Vrbi aduersus federatos Principes defendendę imposui Vincentium Saluonum optimum multæque experientiæ militem.

In sinistro eiusdem Sacelli latere hoc Epitaphium legitur:

ANGELO COLOTIO HVIVS ECCLESIÆ CANONICO, SECRETARIO APOSTOLICO, NVCERINO, ET SENTINATI EPISCOPO, IACOBVS, ET HYPPOLITVS PRONEPOTES POS. AN. D. M. D. L.

In altero autem eius latere Iacobi Colotij Rotæ Romanæ XII--Viri monumentum locatum est. Voluit quidem Angelus ibi humari, vt tenebras mortis subiret, vbi natus lucem acceperat; maluitque cum eodem Iacobo in primario Vrbis Templo, quàm in Ecclesia S. Lucæ in antiquo Colotiorum Sacello simul, ac sepulchro tumulari, quòd vnà cum Iacobo eiusdem maioris Templi Canonicus fuisset.

Iusta illi solemnia, & nobilia à Marco Antonio filio persoluta sunt, quibus conficiendis & ipse Angelus trecentos aureos legauerat. Interfuit cum lacrymis vniuersa Vrbs; nec id officij indebitum fuit ciui, qui & laicus, & Sacerdos speculum viris fuerat ad literas suapte indole propendentibus, qui summa probitate, & heroica virtute præditus, prorsus natus, factusque ad Rempublicam iuuandam, & ingeniorum cultu exornandam videbatur, & qui paucos inter Mæcenates, quos Antiquitas laudauit, adnumerari promeruit.

Præbuit se quidem liberalissimum erga doctos, & amicos; non omisit ta-

men rei familiaris curam, adeo vel vt minimi sumptus rationem haberet, non quidem auaritiæ caussa, sed vt facultates eius inseruirent hominibus sibi acceptis, hoc est bene de republica merentibus. Erga Patriam autem eam caritatem exhibuit, quæ summam laudem meretur. Cum anno circiter millesimo quingentesimo decimo septimo, illa fuisset direpta, recepit à militibus, multa pecunia impertita, plurimas tabulas & monumenta publica. At quanta religione Deum coluerit, ostendit cultus erga res sacras, & pignora Sanctorum, ingens auri vis erogata, vt sacrificia celebrarentur, sacella ab ipso empta & cōdita in patria, in templo Episcopali, & in templis S. Floriani, & S. Lucæ, quibus ministeria Ecclesiæ consueta adiecit.

Vita citra reprehensionem fuit, quod sane plurimi æstimandum est Romæ, in qua omnia patent, omnia prædicantur, nec raro etiam adiecta praua interpretatione. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto cum grauissimo morbo laboraret, testamentum confecit, in quo, cum demonstrasset se

(dem-

(dempto Nucerino Episcopatu) parum, vel nihil bonorum Ecclesiasticorum possidere, ijsque redditibus, quos ex patrimonio, propriaque re percipiebat, multos consanguineos, & amicos sustentasse, ac præterea eam pecuniarum vim in recuperandis numis aureis argenteisque insumpsisse, vt necesse habuerit ęre alieno obrui; asserebat deniq; cum sibi haud vetitum esset Canonicis legibus testari, totius rei suæ heredem instituere Marcum Antonium filium; & hoc absque prole legitima morientes substituere Iacobum, & Hyppolitum Colotios; & his etiam absque mascula sobole cadentibus, Hieronymi Ripandi filios. Executores Testamenti nominati Augustinus Card. Triuultius, Marcellus Ceruinus Card. Sanctæ Crucis, Marcus Antonius Massa à Gallesio Iurisconsultus celeberrimus. Dubitari posset num Colotius prolem habuerit ob epigramma, quod Marcus Antonius Casanoua scripsit de senectute filijs destituta Angeli, & Thomæ Petræ Sanctæ.

Dum forte est sine prole senex & vterque & vtrumque

Accendit mirus posteritatis Amor ;
Ipsaque adoptari seniorem dum vetat illum
Lex, & adoptari cum vetat ipsa parem:
Ille patrem semper vocat hunc, vocat hic quoque & illum ;
Ast ego vtrumque patrem, filium vtrumque puto.

Casanoua obijt paulò post Romæ direptionem, adeoque forte ignorare potuit Angeli filium fuisse Marcum Antonium, qui tali se parente dignum præstitit, quemadmodum testatur Franciscus Bellinus Pauli Tertij familiaris, & Bembo coniunctissimus, ei dedicans hymnum Palladis, sic ab eo nominatum.

Castæ ad templa Deæ, Coloti, educate sororum
In gremio Aonidum, & studijs imbute Mineruæ.

Is vxorem duxit Margaritam Annam, filiam Hieronymi Ripanti, Nepotis Angeli Ripanti Episcopi Aesini, anno millesimo quingentesimo septimo vita functi.

Pix-

Præterea Colotius alios filios reliquit, ingenij videlicet partus, Libros, inquam, sed imperfectos, vel quòd meliores subrepti fuerint, vel quòd parens eos non parturierit nouem annorum spatio, vti partus Musarum exigunt.

Legebantur olim in Vaticana Bibliotheca plura eius epigrammata, & quædam Italica rythmica. Constat etiam quantum laboris impenderit Italicæ linguæ illustrandæ, datis præceptis, & confecto vocabulario: Nimirum aduerterat in obscuro ipsos etiam fuisse, qui in pretio fuerant, Seraphinum, nempe, Mannuccium, & Calmettam, & nisi hanc gloriam Bembus occupasset, à Colotio huiusmodi beneficium expectandum erat. Collegerat ex Scriptoribus Hetruscis antiquioribus plures obseruationes in verbis et phrasibus, & præcipuè vsus erat scriptis Francisci Barberini, & Roberti Regis Hierosolymitani, quæ fortasse Neapoli obtinuerat, vbi & Robertus regnauit, qui & eò deportari iussit opera eiusdem Barberini quinis auri vncijs coempta: quod litteræ eiusdem Regis ex Archiuio Regiæ

Curiæ Neapolitanæ à Camillo Tutino descriptæ testantur.

Robertus Hierusalem, & Sicilia Rex, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ, & Folqualqueri, ac Pedemontis Comes. Secreto Principatus & Terræ Laboris Fideli suo gratiam, & bonam voluntatem. Cum nos dedimus in mandatis Religioso Viro Fratri Ioanni de Neapoli Ordinis Minorum, ut opera omnia spectabilis Viri Magistri Francisci de Barberino, videlicet supra sacros Canones opuscula, & rithima vulgari idiomate ab eodem edita emeret, Fidelitati tuæ præcipiendo mãdamus, quatenus statim post receptionem Præsentium sine aliqua mora, uncias auri quinq; de pecunia Curiæ nostræ, quæ est, vel erit per manus tuas, dicto Fratri exhibere studeas, absque alicuius difficultate, & dilationis obstaculo, recepturus ab eodem idoneam apodixam ad tui cautelam. Datum Neapoli. Anno Domini 1338. 6. Indict.

Proinde haud mirum est si Pierius Valerianus per dialogum inducat Colotium, adeò huius linguæ peritum, narrantem, quæ in cœna apud Iulium Mediceum habita, de hac lingua dicta fue-

fuerant; Propendebat autem Colotius, ceu patet ex ea narratione, in sententiam Io: Georgij Trissini, immò, vti liquet ex Varchi Herculano, Colotius, adiectis quibusdam rationibus, firmauit opinionem Trissini hanc linguam Italicam nominantis, quod & ipse Trissinus ingenuè in suo Castellano fatetur. Petrus etiam Summontius Colotium laudat de eiusdem linguę peritia, dicans ei libellum Pontani de Magnanimitate. Sicenim scribit.

Ad notas te aliquando Musas refer, non ad Hetruscas illas tuas, in quibus summam tibi iam gloriam comparasti; sed ad Latinas has itidem tuas, quas non minus à puero, quam siue Hetruscas, siue Græcas, coluisti.

Vt magis vim formularum, vocumq; Hetruscarum perciperet, scripta Prouincialium euoluit, earumque vocum volumen ab ipso Mantuæ Marchione Francisco obtinuit, cui & restituit anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto, per oratorem eiusdem Principi Romæ agentem

Scripsit Italicè opusculum dictum *l'Ani-*

l'Anima d'Oliuiero, & aliud inſcriptum *la Notte d'Amore*. Cantiunculam, ſeu Odam eius etiam legi admodum concinnam, atque hoc Italicum carmen in Cardinalis Bembi morte.

Bembo hor ch'è giunto à più beata riua
Lo tuo d'eſto empio mar felice legno,
E nel Ciel tocchi il deſtinato ſegno,
Oue da pochi à gran pena s'arriua.
Sol duolſi Etruria, che ſia ignuda, e priua
D'vn ſi nobil teſor, sì ricco pegno.
Cō temer che nō mai truoue altro ingegno,
Che ſi dolce d'Amor più canti, ò ſcriua.
Canoro Cigno, che del Tebro all'onde
Laſci cantando le già bianche ſpoglie,
Ch'ancor del ſuō n'hā gioia ambe le ſpōde,
Già tua man ſacra il ferto, e'l premio coglie
D'allori eterni, e non di quelle fronde,
Che ne dà primauera, e'l Verno toglie.

Latinè præter epigrammata, occaſione Pedis & Sextarij, quos apud ſe habebat Angelus, ſcripſit opuſculum de Ponderibus, & Menſuris à Luca Pæto, & alijs laudatum.

Exarauit Epiſtolam *de Numero Ternario*, pluraque etiam collegit fortaſſe à Laſcaro accepta, *de Rebus Turcicis.* Latinè

ne quoque scripsit plures Narrationes, facetas æmulatus Florentinum Poggium, quò posteri etiam libarent eam iucunditatem sermonis adeo à Pontano laudatam, quam præsentibus impertiebatur.

Itaque huius Viri indoles versatilis erat, facilisque in omnem partem, seu studia tractanda, seu colloquia, negotiaque agenda, seu necessitates subleuandas vt merito Franciscus Pamphilus in Piceni laudibus, vbi Aesinæ Vrbis mentionem facit, hæc cecinerit;

Angelus hac digna fuit Vrbe Colotius ortus;
Angelus Aonidum maximus ille philos.
Vertitur in varias formas, totidemque figuras:
Carpathijs Proteus, quot Deus egit aquis,
Polypus æquoreis non tot sibi sumit in vndis,
Quot facies apto tempore cautus agit.
Vinceret Anthæum ludo, nitidaque palestra
Aurea quisque humeris iam tulit astra suis.

Mel-

Mellifluos latices sumpsit de gurgite fontis,
Quem modo Gorgoneus calce peregit equus.
Hunc amat alma suum captam dulcedine Clio,
Hunc fouet Euterpe, Melpomeneque virum.
Tradidit immensam seriem Polymnia *rerum,*
Efficit huic virides diua Talia comas;
Sensibus ast Erato *diuinum infundit amorem.*
Terspicore mulcet pectora læta choris.
Vrania astrigerum totum patefecit Olimpum,
Mellifluos tribuit Calliopea sonum.
Vnicus hoc nostros miseratus tempore Vates
Mæcenas gratam præstitit alter opem.
Hunc potes arbitrio Polystora dicere nostro,
Hunc etiam merito iure vocare Sophū.

Quidquid extat à Colotio scriptum, Eminentissimus Barberinus iussit tribus voluminibus describi, misitque ad Nicolaum Claudium Perescium, virum doctissi-

ctissimum, & tum literatura, tum amore literatorum Colotio simillimum, quem Orbis literatus primum suspexit, demũ plorauit, tanquam amisso sæculi huius Mecænate. Ad quam laudem præter te, ò Clarissime Cassiane à Puteo, nemo postea aspirauit.



L E-

LECTORI.

PArua hæc Latinæ, ac Italicæ Colotij nostri Poeseos mantissa, præter Epigrammata, quæ in eius vitæ serie interserta sunt, ideo, candide Lector, assuta est, vt quantum in vtraque pollluerit, tibi specimen elucescat. Optares, scio, plura, immo plurima; sed plura dare non possumus. Quæ semel temporis ingluuies, ac voracitas absorbet, lesso quidem prosequi, datum omnibus. verùm ipsa in lucem reuocare permissum nemini.

De Marmoribus inuentis in Foro Romano, Ad Card. Farnesium.

Hac de tam multis veterum fragmenta ruinis,
Mille annos putri quæ iacuere solo.
Aere tuo, ac studio, Farnesi, in luminis oras
Eruta de sacra sunt monumenta via.
Qui facis, vt repetant Capitolia ad alta triumphi

Dum

Dum minuit curas, cura Nepotis Auo.
Hinc memori saxo grates posuere Quirites,
Quod Roma est meritis iam rediuiua tuis.

De Puella Catulum lauante.

P*Ontia pectebat, nitidisque lauabat in vndis*
Candidulum Catulum, candidiore manu.
Vidit, & è Cælo latrauit Syrius alto
Inuidus, in molles dum cupit ire sinus.

De Puero ab Apibus necato.

Q*Væ sub Sole nouo liquefacta remiserat arbos*
Præbebat nato dulcia mella parens.
Qua mox defuncta reptabat ad vbera nigræ
Ilicis Hyblæas inter alumnus Apes.
Obstitit huic adeo rostris armata iuuentus,
Vt misero intulerint spicula cæca necem.
Impiæ Apes non Musarum vos esse volucres,
Nec tenerum credam vos aluisse Iouem.

De Epaminonda.

HOc tumulo tegitur soboles praeclara Polimni,
Qui dux, an melior vir foret ambigitur.
Ille vbi se Oebalidum venientibus obtulit armis
Sensit, & immotum tela cruenta femur.
Alteq; hastam euellens ostentabat, & inquit
Non mea me tāgunt vulnera, sed Patriae.

In Elegias Calentij.

SVmpserat Elisius calamum scripturus amoris
Saeuitiam: tenuem risit amor calamum.
Pectus & arrepta transfixit harundine dicens
Iudice te; dic quis fortior est calamus.

Eiusdem ad A. Thebaldeum.

SI quando, Antoni, cunabula prima Calenti
Cernis, & ingenij signa futura sui.
Perlege quae à puero ranarum praelia lusit,
Primaque ridiculis muribus arma dedit.

Quo-

Quoq; magis moueant risum vulgaria finxit
Nomina, & humanos verba imitata modos.
Ride ergo, Antoni, paruarum bella ferarum
Tuque prior Vatis experiare iocos.
Sic his non noceant celebranti in carmine mures
Rana, nec Elisijs rauca coaxet aquis.

De Hedera Quercum annoſam complectente.

SVbnaſcentem hederam trabeati in colle Quirini
Nutrierat denſis Quercus opaca comis.
Nunc quia victa æuo viduata eſt frondibus arbos
Pro merito altricem veſtit alumna ſuã.

Tempore Clementis Septimi Pontificis Maximi cùm Ianus Arycius Lucemburg. Romæ in Aede Diui Auguſtini tres Statuas Chriſti Dei, Mariæ, & Annæ erexiſſet,

 omnes

omnes illius æui vrbani Poetæ Statuarum nitorem carminibus celebrandi occasionem cæperunt, inter quos Angelus Colotius hoc Epigrammate.

MIramur gelida religatum rupe Prometheum
Præbere æterno pectora Vulturio.
Ille hominem finxit: sed quæ tormenta meretur
Qui Diuorum animas intulit huic lapidi.

ANGELO COLOCCI à M.Gandolfo Porrino.

VOi, che passando per l'antica sede (se
De la Dea Circe appresso à l'onde sal-
Del mar Tirren: se mai di voi vi calse;
Quinci per altra via torcete il piede.

Donde, quando si vien, più non si riede:
V' porger preghi, e pentir mai non valse:
Et de le già cangiate imagin false
Le vecchie, e noue historie ne fan fede.

Questi

Questi leggiadri luoghi vn tempo tenne
Lei, che'l Rè nostro in vago augel conuerse,
Mutando il real manto in auree penne.

Hoggi e Gandolfo ancor sua forma perse,
Tosto che, quando al bel paese venne,
Ne la figlia del Sol sue luci aperse.

CANZONE
DI ANGELO
COLOCCI.

Della quale si fà mentione sopra alla pagina 74.

PIAGGE riposte apriche
Tremanti, e verdi fronde,
Frà quai mi trouo in solitaria vita,
Valli, e riuiere amiche
Presso al suon di quest'onde,
Ch'a trar mille sospir dal cor m'aita.
Pia rimembranza à riueder m'inuita
La donna che s'en gia
Secura in que' be' poggi

Cantando. Vdirete hoggi
Quanta gioia il cor n'hebbe: oue non sia
Trà boschi ombrosi, e folti
Altro che voi, che con pietà m'ascolti.

Bel prato era all'or quando
Mia donna humile, e piana
Col bel tenero piè calcò quest'herba,
Bel fonte, oue in specchiando
Sol dell'imagin vana
Cominciò l'onda à diuentar superba;
Ma più bel quando per mia pena acerba
Dormendo in verdi cespi
Scherzar Zeffir vedea
Ventilando, e mouea
Pe'l bianco collo i crin dorati, e crespi,
Com'or, ch'auorio tocchi,
Mentr'Amor si posaua in quei begli occhi.

Ben dorme il viuo fuoco
Sotto l'arida polue,
Nè manca in lui d'alta virtute ardente;
E questo à tempo, e luoco
Sue membra in sonno solue
Trà sasso, e sasso il giouincel serpente,
Ma quel velen, c'hà sotto il fier suo dente
Spira pur doglie, e morti;

Sì la già chiusa luce
Del mio bel Sol riduce
Sereno stral d'Amor cocenti, e forti
Tolto da gli occhi il velo
Ride col riso suo la Terra, e'l Cielo.

Poi mentre scinta, e scalza
(Com'Api in varij fiori
Predano i ricchi honor di Primauera,)
Scendean dall'aspra balza
I pargoletti Amori,
V'la bella compagna spogliat'era,
Qual di candida benda, e qual di nera
S'adorna, e veste in donna,
Ch'il purpureo coturno
Si cinge, & altri furno
Che in vn tronco posar l'aurata gonna
Nudo di rami, e foglie,
Quasi vn trofeo di sì pudiche spoglie.

Poi quando in lieto coro
Fean sì dolci concenti,
Che non parean più dell'humane cose;
E all'armonia di loro
Stean gli augelletti intenti,
E'l vago pesce per le sponde herbose:
Sol dal sinistro suo lato rispose

Quaſi garreggiand'Eco .
Con la voce non tronca ,
E la caua ſpelonca
Vaga del ſuon il primo habito ſeco
Ritien sì auaramente ,
Che ricantando ancor dolcezza ſente.

Ahi laſſo , hor mi rimembra
Del primo dì , che in gioia (perſi,
Gli occhi al viſo, e l'orecchie al canto a-
E piacer tanti aſſembra ,
Che ſia (ben ch'io ne moia)
Dolce quant'in amar giàmai ſofferſi :
E perche ſempre il cor letitia verſi
Non ſia ch'altro l'ingombre ,
Che doppo il duro paſſo ,
Se'l corpo in terra laſſo, (bra,
Vò che l'ombra mia errãdo per queſt'om
E per l'amena riua
Spirito nudo ancor quì canti, e ſcriua.
Ben fù, canzon, quel dolce tempo amico,
Che la ſelua nouella
Della non ſua beltà ſi fè più bella .

IN-

INSCRIPTIONES ALIQVOT, quæ extabant in Aedibus, & Hortis Colotianis

Descriptæ ex Schedis Bibliothecæ Barberinæ.

IOVI . MINERVAE ET
APOLLINI . INVICT
SACR
L.IVNIVS . L.L. PYLAEN
ET IVNIA PAVLLINA
CVM FILIS V. S
DEDIC. KAL. FEB
IVNIO GLABRIONE ET HOMOLLO
COS

Figura hominis nudi decumbentis in lecto.

ΓΕΜΙΝΑΝ ΕΚΑΛΕCΑΝ
ΕCΧΕΛΕΚΑΙΑΛΛΟΝΟΜΑ ΧΑΡΙCΤΑΤΟΝ ΟΝ ΠΟΘ
ΕΤΑΙΡΟΙ ΠΕΤΡΟΚΟΡΑΚΑ ΝΕΚΗΖΟΝΟΝ ΤΑΧΥΒΡ
ΟΤΟΝ ΟCΤΙCΤΟΙΑΝ ΕΤΗCΑΤΟ ΓΝΩΜΗΝ ΗCΚΑΙ ΤΗΝ
ΑΠΛΟΤΗΤΑ ΦΙΛΟΥC ΥΠΕΡΑΤΟΝ ΕΤΙΜΑ ΔΙΑΤΟΥΤΟ
ΜΝΗΜΗC ΕΝΕΚΕΝ ΧΑΡΙΤΟCΔΕ ΑΠΑCΗC ΟΙ CΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ
ΕΘΗΚΑΝ ΓΝΩCΤΟΝ ΠΟΛΛΟΙCΙ ΒΡΟΤΟΙCΙ ΙΝΑ
CΕ ΠΑC ΠΑΡΑΓΩΝ ΟΝΟΜΑΖΗ ΑΓΑΘΕ ΠΕΤΡΟΚΟΡΑ
ΕΖΗ ΕΤΗ XXXX

M.D.

M.D.M.IDAEÆ.ET.ATTIDI.MENOTVRANO.S
NOBILIS.IN.CAVSIS.FAMA.CELSVSQ.SABINVS
HIC.PATER.INVICTI.MYSTICA.VICTOR.HABET
SERMO.DVOS . . . . RESERVANS
CONSIMILES,AVFERT . . . .
ET.VENERANDA.MOVET.CIBELES.TRIODEIA.SIGNA
AVGENTVR.MERITIS.SIMBOLA.TAVROBOLI
RVF.CÆON.CÆ.SABINI.F.V.C.P.M. HIEROF.D.HECAT. AVG
PVL.P.R.Q.PATER.SACROR.METHRÆ.TAVROBOLIATVS
M.D.M.ID.ET.ATTIDIS
MINOTVRANI.ET.ARAM.IIII.ID. MART
GRATIANO.V.ET.MEROBAVDE.CONSVLIBVS,DEDICABIT
ANTIQVA.GENEROSE.DOMO.CVI.REGIA.VESTÆ
PONTIFICI.FELIX.SACRATO.MILITAT.IGNE
IDEM.AVGVR.TRIPLICIS.CVLTOR.VENERANDE.DIANÆ
PERSIDICIQVE.MITHRÆ.ANTISTES.BABILONIE.TEMPLI
TAVROBOLIQVE.SIMVL.MAGNI.DVX.MISTICE.SACRI.

Hæc inscriptio extat apud Gruterum pag. 28. sed mutila, & corrupta.

ΑΠΡΙΛΙΩΝ
ΦΑΡΜΟΥΘΙΑ
ΥΠΝ. ΤΩΝ
ΚΥΡΙ ΩΝΗΜΩΝ
ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΥ
CΕΒ. ΤΟ. Ζ. ΚΑΙ
ΜΑΞΙΜΙΑΝΟΥ
CΕΒ. ΤΟ . . .
ΤΟΠΟC. ΕΔΟΘΗ
ΥΠΟ ΒΑΛΕΡΙΟΥ
ΚΩΜΑΖΟΝΤΟC
ΥΠΑΤΙΚΟΥ
ΙΕΡΩ Ν. ΝΑΩ Ν.

Ο. Κ.

Θ. Κ.

ΙΘΑΡΟCΝΕΙΚΗΤ
ΗCΥΝ ΒΙΩΕΠΟΙΗ
CΕΝΑΓΝΕΙ
ΑCΧΑΡΙΝ

Θ. Κ.

ΑΥΡ. ΑΛΙΠΟC. ΚΑΙ ΦΑΒΡ. ΤΥΧΗ
ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΩ. ΥΙΩΓΛΥΚΥ
ΤΑΤΩ. ΟCΕΖΗCΕ ΕΤ .....
ΔΥΟ ΗΛ Η
Ω Ρ ...

DIS.

DIS. MAN. SACR
M.ANTONIO.M.F.PIETATI
VIX. ANN. XXXVIII
A LÆLIVS . A. N. PRIMITI
VS . ET . ANTONIA . M.F. PIE
TAS . FECERVNT

Q. CÆCILIVS . Q. F. C. N
AVENTINVS . FLAMEN
DIALIS DII
PATRI AVSPIC
ARAM . ET . AREAM . PVBL
RESTIT. COERAVIT

P. VALERIO
DÆDALO
PIO . VIXIT
ANNIS . XXX
FECIT . FAVSTINA
ET . FILIS . VRBIC
V. A. XII. M. VI
FAVSTVS . VIX. A. V
DIEB. I

Q.COR-

Q. CORNELIVS . Q. F. L. N
LEVINVS . FLAMEN
DIALIS
EX . S. C. TERMIN
RESTITVENDVM , COERAVIT

In Tabula Aenea

SILVANO . ET . MERCVRIO
SACRVM
TI . CLAVDIVS . EPICTETVS
ET . CLAVDIA . HEROIS
EX . VOTO . L. M
AR. ET . PAVIMENT. S.P. RESTT

SEX. MATRINIVS . SEX. F
CORNICVLARIVS
LEGION. X. AVG
ANN. VIII. VIX. ANN
XXXVII. M. IIX
D. IX
H. S. E

VENE-

VENERI . CÆLEST
L. ANTONIVS . L. LIBER
LAMPHILVS
P. IVVENTIVS . P. LIBER
TVS . GYLIPPVS
T. FLAVIVS . T. LIBERTVS
ARISTOPHON . III. VIR
QVINQVENN. D. D
L. D. D. D

D. M
AMMIANI . M. AVRE
APPOLLONIVS . ET . P. CAS
SIVS . SOZON. M. C. F

DIS . MANIBVS
AMMIANÆ INVE
NTÆ . VIX AN. XVI
HOR. VIII.
AMMIANVS . PATR
POS

L.SEP-

L.SEPTIMII.GETAE SECVLARIA SECVLI . FELICITAS P.PETRONIVS , FAVSTVS AVGVR	IMP.CAESARI . L SEPTIMII . SE VERI . PERTIN ACIS AVGVST LAETITIAE TEMPORVM P. PETRONIVS FAVSTVS AVGVR. D. D

IOVI . CONSFRVA
TORI . PATR PATR
SER.SVLPICIVS . SER LIB
STEPHANVS II·VIR.STAT. ÆN
PRO . SALVTE . IMP
CÆSARIS AVG. COLLEG
SILIGINIARIORVM
DEDIC

D. M
AVRELIVS.MVCIANVS.MISSICI
VS . COHOR. VI. PRAET. QVI VIXIT . ANNIS
sic
XXXVIIII· MES. VII. DIES VIIII, HORA.VIIII
FECIT . AELIA . LVCIA . COIVGI . VIRGINIO
SVO . BENEMERENT. FECIT

Sub Statua Mulieris .

VIBIAE.AVRELIAE SABINAE.D.MARCI.AVG.F
HELIODORVS.LIB.ET . PROC.PV

D.M

D. M
L.SEMPRONI.FESTI
TABVL. RAT. PORTVEN
OPER. P. VIX. AN. XXXI
SEMPRONIA. MA....
OPTIMO. FEC

IOVI. FORINARVM
A. LARCIVS. A. LIBERT
PRAEF. FABR. ITER
QVINQVENN. S. P. D. D

ÆSCVLAPIO.ET.HYGIÆ
H.TEMPL.CVM.FONTIBVS.SV
SACRVM
M.VESIDIENVS. HEDYLALVS.PR
COH.PRIM.VOLVNI.CIV... ROMAN
ET VESIDIA. CARITVSA. VOT
L.D.D.D.S.IMPEN

IOVI.OPTIMO.MAXIMO
DOLICHENO.VBI.FERRVM.NASCITVR
C.SEMPRONIVS.RECTVS
CENT. ..FRVMENTARIVS.D.D

IMP.

IMP.CÆSARI.DIVI.NERVÆ.FIL.NERVÆ
TRAIANO.AVGVSTO.GERMANICO.DACICO
PARTHICO.PONTIFICI.MAXIMO.TRIBVNIC
POTEST. VII. IMPERATORI . IIII. COS. V. P. P. OP
TIMO. PRINCIPI
D.IVLIVS.D.L.MAMÆVS.PRINCEPS.SCRIBA
LIBRARIVS. II. VIR.QVINQVENNALIS
M.IVLIVS.M.L.PHILEROS.M.IVLIVS.M.L.
PROSPER.M.IVLIVS.M.L.DEXTER.SAGAR
M. VLPIVS. M. L. PAMPHILVS.OLEARIVS
M.VLPIVS.M.L. PHILEROS.CERD.M.ANTO
NINVS.M.L.FAVORINVS. D. D

L.SEMPRONIVS : L. L. PERIPHEMVS

L. SEMPRONIVS . L. L. AMPHIONEVS

C. SEMPRONIVS . C.L. AGNOSIAS

C. SEMPRONIVS .C. L. PANOPVS

C. SEMPRONIVS . C. L. AMPHALVS

SEX. SEMPRONIVS . SEX. L. PENTHEVS

TI. SEMPRONIVS . TI. L. CHRYSINVS

DISTIGVM . FECERVNT . C. P.

APOLLINI
IMP.CAES.DIVI.F.AVGVSTVS
PONTIFEX.MAXIMVS
IMP.XIIII.COS.XI.TR.POT.XVI.
EX.STIPE.QVAM.POPVLVS.ROMANVS
KALENDIS.IANVARIIS.ET
C.MARCIO.CENSORINO.C.ASINIO.GALLO.COS

DIS.MAN.SAC
A.RVPILIVS.A.F.ESQ.AVCTVS
RVPILIA.HILERA
FECERVNT.S.ET.POST.

II.KAL. FEBR. C. HOSTILIO. MANCINO
ET.C.ATTILIO.SERANO.COS.

GENIO.CONSER
VATORI.DOM
BALBINORVM
SACRVM
D.CAELIVS.SEX.F
ESQVILINA
CALVINIANVS

H.HYPOGEVM.COM.FECER
C.CAMERIVS.C.F.VETENVS
C.CAMERIVS.C.F.PAL.PLAVTVS
C.CAMERIVS.C.F.PAL.ATTVS
C.CAMERIVS.C.N.MARINVS
CAMERIA.PACATA
OLL.SINGVL.....NVM. XX
LOCARVNT

D. M. S
M.LICINIO.M.F.CRASSO
FRVGI.LICINIAE.CRASSAE
M.LICINIVS.M.F.ESQ.IVNIOR
ARAM.D.K.III.K.MART
L.AEMILIO.MAMERCO.ET
C.CAESIO.FABIO.VIBVLANO.COS

IVNON.REGIN
SACRVM
PRO.SALVTE
D̄. N. DIOCLETIAN.IN
CLYT.PRINCIP.SEMP.AVG
PINIVS.PAVLLVS.SILVANVS
VIR.CLAR.PRAEF.VRB
IVDEX.SACRARVM.COGNITIO
NVM.VOLVNT.EIVS.CVR

SEX.AVTRONIVS.SEX.FIL
PALATINA.NIGER
LITICEN.LEGION
III.PARTH
FECIT.OLL.XXX

C. SALLVSTIO: PISANDRO
PATRONO. OPTIMO. ET
SALLVSTIAE. TYCHE. VXORI. CARISSIM
FECIT
C. SALLVSTIVS. PISTVS. SIBI. ET
SALLVSTIAE. EVGENIAE. FIL. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE POSTERISQVE. EORVM

L.ANTRONIVS.L.F.POM
VAGONIVS . PROSPER
SCRIBA. COLLEG.ARVAL
PROCVRATOR.LV
DI.MATVT.III.VIR.MON
FIDEI.CONCOR. P

COLLEGIO. PABVLARIORVM
C.CORNELIVS.C.L.IVCVNDINVS.II. VIR
ET.L.ANTONIVS.L.L.IVBENTIVS.II.VIR
QVINQVENNALITAT.S.P.DEDICARVNT

DIS.MAN
L.ANTONIO.L.F.QVIR.OLYMPIONICO
CROTON
MILIT.LATERANO.LEG.III.PARTH
MIL.ANN.XX.VIXIT
ANN.CIII. D.XV
L.ANTONIVS.L.F.QVIR. MARTIANVS

Θ. Κ
ΜΕΤΤΙΩ·ΑΠΕΛ
ΝΙΚΗΦΟΡΩ
ΚΛΑΥΔΙΑΝΟC
ΜΑΞΙΜΟC

Q.ASPRINIO.Q.F.ASELLIO
NAT.TISIA
COM.LEG.FL.VALERIÆ. P.F
MIL.ANN.XVIIII
VIX.ANN. LIX
Q.ASPRINIVS.PARVINVS
T. F. I

QVART.ANNIVS.QVAR. F.POBL
SATVRNINVS
VERONA
MIL.LEG.V.AVG.PRÆ.VIGIL
PROCVRATOR. VIGESIM. HERED
ET. QVARTINIA . BABAERIA
VXOR.FECERVNT.H.T.I.F
H.M.D.M. ABES
IN.FR.PED.XVIII.IN.AG.PE.XXV. S

GE-

GENIO.COLONIÆ
L.TETTIVS. L.F.FVFIVS
EQ.SINGVL.ET.L.TET
TIVS.GRATIANVS. VETE
RANV.EQ.EX.VOTO
SVSCEPTO
L. D. D. D.

DIS.MAN.SAC
M.BÆBIO.M.F.FAB
PACCIENO.PRIMOP.
LEG.IIII.AVG
VIX.ANN.LXVI. MEN.VII. H.IX
M.BÆBIVS.M.F.FAB
FR.OPTVMO.FIDELISS. T. C
IN.FRON.P.XI.IN.AGR.XX

VLP.VALERIVS. PRIMISCRINIVS
PRÆF.VRBIS.QVI VIXIT.ANNIS
XXXII.MEN.X.REQVIEVIT.IN.P
VIIII.KAL.SEPT.

Q.HVMENIO.Q.F.Q.H.OVF
CALVO.LATINO
PRIMOPILO.LEG.MINER
MILIT.ANN.XXVI
VIX.ANN.XLII
HVMENIA.VIVANIA
MAT.F.C
IN.FR.PED.XIII.S
IN.AGR.PED.XIIX

M.ANTONI.M.F
VEL.VERISSI
MIL.COH.III.PR
PRIMICERI
M.ANTONIVS
M.F.VEL.BASSVS
PRIMISCRINIVS
TRIB.LEGION
III.GEMIN.FECIT
ET.SIBI
IN.FR.P.V.IN.A.P.VIIII